QVÆSTIONUM PHILOLOGICARUM ET PHILOSOPHICARUM PLEIAS DE POLLINCTURA, SIVE CADAVERUM HUMANORUM CURATIONE, ET SOLEMNI CONDITURA, VULGO DICTA BALSAMATIONE,

Non qvoad Nominis solummodò vim & indicationem, sed & secundùm omnes Rei causas, tàm internas, qvàm externas, ex optimis qvibusqve Auctoribus, sacris simul & profanis, veteribus, mediis & novellis, hinc inde non sine qvadam Epicrisi congesta,

Inq; Disputationem publicam breviter adducta, & ulteriori συμφιλολογούντων discussioni commissa, ad diem XV. Septemb. H. L. Q. C.

PRÆSIDE qvidem
D. ANDREA RIVINO, P.P. & C.P. Cæsareo, Collegii Principis Subseniore, & Academiæ Philureæ Decemviro:

RESPONDENTE verò
CHRISTIANO GALLO, Bonarum Artium & Philosophiæ Baccalaureo, LLq; Studioso;
UTROQUE HALLENSI SAXONE.

Impressa Lipsiæ Literis Lanckisianis apud Christophorum Cellarium, Anno ∞ IↃC LV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

HUmanitatis studium, unde vel maximè Humanissimi sunt, qvi eruditionem institutionemq; in bonas Artes sinceriter cupiunt, appetuntq;, tam amplum, tamqve diffusum, qvin cæteris disciplinis omnibus & singulis, etiam superioribus ita nuncupatis Facultatibus usqve adeò infusum est, ut nulla earum cum ipsa finium regundorum agere possit, sed sit ea uniuscujusqve *conditura* qvasi qvædam, ne dicam anima. Qvo ipso fit, ut in bonis Auctoribus veteribus, qvi ex professo, nec de Religione, nec de Legibus, aut corporum Cura tractaverint, qvàm plurima tamen qvotidiè, qvæ discant, paullum modò humaniores, inibi passim reperiant, sive Theologi illi sint, seu JCti aut Medici, ut nihil nunc dicam de Philosophis Nam qvod primos spectat, illos disciplinis gentilium, qvas profanas vocant, carere non posse, sed has discere oportere & qvatenus, præclarè ostendit OEcumenius ad locum Act. Apost. *Et eruditus est Moyses omni sapientiâ Ægyptiorum.* Ἐκ τούτου δῆλον, ὡς οὐκ ἀποβλητέα πάντη ἐστὶν ἡ τῶν ἔξωθεν τῆς γραφῆς παίδευσις; Τρόπῳ γὰρ ἐγκωμίου εἴρηται, ὡς ἐπαιδεύθη Μωϋσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, καὶ περὶ τῶν τριῶν παίδων καὶ Δανιήλ, ὡς ὑπερέβαλον πάντας, ἐν τῇ Χαλδαίων φιλοσοφίᾳ καὶ ταῖς λοιπαῖς ἐπιστήμαις. Δεῖ δὲ ἐπ' ὀλίγων αὐταῖς προσέχειν, τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ ἐμμένοντας, οὔτε γὰρ Μωϋσῆς, οὔτε οἱ περὶ Ἀνανίαν, καὶ Δανιὴλ ἔμαθον αὐτὴν ξένην παιδείαν, εἰ μὴ ἀνάγκῃ καὶ βίᾳ δεσποτῶν. Καὶ γὰρ ἐν οὐδενὶ αὐτῇ κέχρηνται· εἰ μὴ που φαίη ἄν τις, ὅτι καλὸν αὐτὴν μαθεῖν, πρὸς τὸ ἀνατρέψαι τὰς ἐκείνων ἀπάτας. *Ex hoc manifestum est, non rejiciendam esse omnem externæ Scripturæ eruditionem, siqvidem Encomii vice dictum est, qvod Moyses eruditus est omni sapientia Ægyptiorum. De tribus qvoq; pueris ac* DANIELE *dicitur, qvòd super omnes eminebant Chaldæorum sapien-*

A. Gell. noct. Att. lib. XIII. c. 15.

Oecum. in Act. Apost. c. 7.

Dan. 1.

pientiâ, cæterisq; scientiis: Oportet autem paululum illis adhærere eos, qvi Scripturæ divinitus inspiratæ immorantur, neq; enim Moyses, neq; Ananias, aut Daniel peregrinam didicerunt eruditionem, nisi necessitate ac coactione Dominorum, in nullo etenim eâ usi sunt. Nisi fortè qvis dicat, qvod bonum sit eam discere, ad evertendas illorum fraudes. Qvo pacto Græcanica sapientia φραγμὸς οἰκείως εἴρηται καὶ θριγκὸς εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος, *sepes rectè & propugnaculum vineæ* dicta est CLEMENTI ALEXANDRINO. Qvi *fidei veritatem ad vitam necessariam ut panem* dicebat, προπαιδείαν *verò obsonio & bellariis atq; condituris similem.* Hac illecebra admonebatur qvoq; JC. Neapolitanorum plurimùm humanissimus ALEXANDER, *ut pessimè cum his actum magnoperè censeret, qvi prætermisso latinæ lingvæ nitore & cultu verborum se protinus ad Legum interpretamenta præcipites tradant, magno errore nimis properæ festinationis; Siqvidem hoc primum docendi sint, qvonam modo vim ac sensa verborum & JCtorum mentem planè percipiant, ut si qvid in controversiam veniat, non præposteros sensus, sed proprios asseqvantur significatus.* Qvod deniqve Medicos attinet, cum sesqviseculo abhinc SIMON PISTORIS, Medicus hujus Academiæ nostræ nobilissimus, alios Medicos redargueret, qvi curam nominum haberent, in qvâ reprehensione ipse reprehensione carere Physico Mirandulano JANO MEINARDO non videbatur, *qvod qvi nominum vires ignorent & seipsos sæpenumerò & alios fallant, præsertim Medici, cùm humanæ vitæ præjudicio in his aberrantes, & summo cum discrimine aliud pro alio medicamentum, inexpertum pro experto, & nocuum pro innocuo propinantes, atqve unum pro alio morbum intercurantes. In qvibus non plebeji & viliores sed & qvi ætate nostra principes medici ac ferè semidei sunt habiti & peccarent & peccavissent. Nam qvomodo aut libros antiqvorum, (à qvibus ferè accepimus, qvicqvid in hac scientia habemus:) aut Magistros ipsos viventes, spretâ ipsarum vocum significatione valebimus intelligere? Nos à Græcis barbarisq; nationibus Medicinam mutuavimus, & utinam satis fidi internuncii, qvi eam ad nos vexêre, & versores tantùm, non etiam perversores extitissent, & utinam non utriusq; lingvæ ignari, ejus scilicet ex qva accipiebant, & in qvam convertebant. Nec præstitissent nobis Medicinam, non modò fœdam, incultam, Punicamq; potius ac barbaram, qvàm Latinam, sed & mancam*

Clem. Alex. lib. 1.

Alex. ab Alex. lib. III. dier. gen. c. 4.

Pistoris contra Martinum Mellerstatt.

Meinard. Ferrar. de Erroribus Sim. Pistoris

in

inplerisqve, inutilem & interpolatam: Qvi tamen ut obpiam intentionem & temporis vitium excusandi: (præstiterunt enim qvod potuerunt) ita sunt sine omni indulgentiâ accusandi, qvi scaturientem jam undiq; ex ipsis fontibus & per puros canaliculos transfluentem Medicinam turbare potiùs maledictis volunt, qvàm bibere. Sed dimittendi sunt hi, non monendi: Idem qvippe in literis, qvod in moribus accidit. Ut enim qvi se bonos putant, cùm mali sint, nunqvam ad meliorem frugem cövertuntur: ita qvi se putant doctos, nunqvam ab ignorantiæ morbo liberantur. Nos qvi rudiores sumus, malumus de vocum vi esse solliciti, qvàm in rebus ipsis crassissimè pererrare. Nam & Grammaticam Medicus scire jubetur ISIDORO Hispalensi, *ut intelligere vel exponere possit, qvæ legit.* Cujus rei, ut in præsentem deveniamus, specimen gustumq; dabimus hac nostra dissertatione, ad alias qvasvis literas proficua, ut speramus, vel nobis saltem futura. Qvæ ipsa pollinctura seu conditura Magnatum, sicuti pigmentis & odoratis floribus atqve succis constat; ita & ad eam flosculos undiqvaqve collectos aspergemus. Utqve rem tanto planiùs explicemus, per qvæstiunculas aliqvas, methodo tamen disputandi non insuper habitâ, sed per causas tractata, in medium proponemus; favorem & benevolentiam optimi cujusvis nobis pollicentes, doctiorum verò sicubi in materia non ubiqve obviâ cespitaverimus, veniam & ignoscentiam humanitatis mutuò stipulati. Esto igitur bono cum DEO *Isidor. lib. IV. Orig. c. 13.*

QVÆSTIO I.

Qvid rei sit pollinctura, qvam nomen indicet, qvæq; ipsius sit æqvivocatio, & qvæ Synonyma?

§. 1.

MARTIUS ANTISTIUS LABEO, *Jurisperitus memorata libertatis, multa liberè contra Cæsarem dixisse & fecisse dicitur, ab eo latas leges contumaciter reprehendens: Qvare in gratiam Augusti eum HORATIUS carpens, insanum nominabat inter sapientes:* *Acro ad Horat.* *lib. 1. Sat. 3.*

Si qvis eum servum, patinam qvi tollere jussus
Semesos pisces tepidumq; ligurrierit jus,

In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur.

A. Gellius l. XIII. c. 10.

Sed melius ei testimonium perhibuit Noctium Atticarum Pervigilator, *Labeo Antistius, inquit, juris qvidem civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publicè responsitavit; Caterarum qvoq; bonarum Artium non expers fuit, & in Grammaticam sese atq; Dialecticam, literasq; antiqviores altioresq; penetraverat: Latinarumq; vocum origines rationesq; percalluerat: Eaq; præcipuè scientiâ ad enodandos plerosq; juris laqveos utebatur.* §. 2. Ex eo citavit

ff. de instit. Act. l. 5. A. Gellius. l. c. & lib. 1. c. 12. ff. Justinianéa Parisina p. 366. Morell. Thesauro. Pius Anton. Bartol. Auctar. c. 5.

ULPIANUS locum qvendam *plenum id genus rerum ad enarrandam & illustrandam lingvam latinam conducentium*, (ut iterum cum A. GELLIO loqvamur) sed ob vocem græcam additam corruptissimum, qvi sic habet: *Labeo scribit: Si libitinarius, qvem Græci ταφέα vocant*, (uti qvidem vetus Parisina Digestorum editio anni 1527. proferebat, cui HALOANDER κλειρεςῶν præferebat, qvem & GULIELMUS MORELLIUS secutus est: COTTA verò GODOFREDUS & alii post PIUM communiter, qvem Græci νεκροθάπτην vocant, id est, mortuorum sepultorem habent) *servum pollinctorem* (non pollicitatorem) *habuerit, isq; mortuum spoliaverit, dandam in eum qvasi institoriam actionem, qvamvis & furti & injuriarum competat.* §. 3. Tametsi verò inter omnes conveniat in eo, qvod libitinariorum exercitium honestius fuerit, qvam pollinctorum, cùm illi ceu heri domi suæ hos servos haberent, qvorum operâ ad pollingenda, hoc est, abluenda, ungenda & consuenda cadavera uterentur; Utpote cum apud Romanos illi ipsi *Libitinarii, qvi efferenda corpora conducebant, & præbebant funeribus necessaria, in templo Libitinæ asservari & vendi solita, prope illud habitarent, ejusq; Deæ rationibus præessent*, juxta ACRONEM & PLUTARCHUM atq; TRANQVILLUM. Nam & VALERIUS MAX. hos qvi Libitinam exercebant, & aliàs nulli rei, qvàm qvæstui vivebant, qvæstum tamen, auctâ inde magis à suâ conditione, qvàm extenuatâ laude, contempsisse prædicat, cùm locato ipsis Hirtii & Pansæ jussu Senatûs, funere, cùm rerum suarum usum, tùm ministerium suum gratuitum polliciti essent, perseverantiqve postulatione extudissent, ut exeqviarum apparatus Sestertio nummo ipsis præbentibus addiceretur. At verò in *pollinctorum* Etymo admodum discrepant JCtorum præsertim Lexicographi.

Acro ad Horat. lib. II. Sat. 6. Plutarch. in Problem. Sveton. in Nerone. Val. Max. lib. V. c. 2.

§. 4.

§. 4. Qvos inter JACOBUS SPIEGELIUS veriorem significationem & originationem *pollinctoris* credidit, *qvod pollinem faciat*, teste ALCIATO ad verba illa C. *conficiendi pollinis cura.* Qvoniam in funeribus cœnas opiparas panesqve ex polline compararent, precio non parcentes; Inde à Græcis τιμιοπῶλαι dicti, PHRYNICHO in Tragœdis dicente:

Σὺ δ' τιμιοπώλης ὡς Ἀχιλλεὺς, ἐδὲ εἷς.

Tu verò Pollinctor qvasi Achilles, neq; unus.

§. 5. Qvare ALEXANDER ab ALEX. pollinctum & polluctum confundens ista narravit: *Ubi à luctu qvievit animus, visceratio dabatur, in qva fuit institutum, ut omnia cariùs vænirent: Qvare ad pollinctum emere* sermo percrebuit, ferturqve Numæ edictum, *ne pisces, qvi sqvamosi non essent, ad pollinctum emere, fas foret:* Scilicet ne nimis magno in funeralibus cœnis mercarentur obsonia. *Qvam cœnam pollincturam dixêre, in qvâ etsi nihil deesset, omniaq; affatim suppeterent, lætari tamen minimè decebat, fuitq; institutum, ut per vini cibiq; lenimen defuncti desiderium levaretur.* Qvæ ipsa ex FESTO & PLINIO Majori desumpta, nam ille *inter merces, qvas Diis pollucere liceat, far, polentum, panem fermentatum, pisces, qvibus est sqvama, præter scarum,* retulit. Apud hunc verò CASSIUS HEMINA ait, *Numam constituisse, ut pisces, qvi sqvamosi non essent, ni pollucerent, non emerentur, parsimoniam commentus, ut convivia publica & privata cœnæq; ad pulvinaria facilius compararentur: Ni qvi ad polluctum emerent, precio minùs parcerent, eaq; præmercarentur,* qvod & SERVIUS in libris Veterum legi observasset *à majoribus sacrificando parsimoniam obscuratam.* §. 6. Nec longè hinc abeunt, qvi in vetustis monumentis pellinctores reperiri, atqve E & O mutuas operas tradere animadverterunt; Ut *pollingo* sit qvasi *perungo*; sicuti *polluceo* à *pelluceo* sit deflexum, & *polluctum* sit tanqvam *pelluctum*, *qvod illo in genere sacrificii pelluceamus, & qvod pelluceat splendor ille decumæ & epuli.* Qvo pacto apud PLAUTUM *polluctura* pro *pollinctura* qvibusdam legitur, qvæ tamen non minus inter se, qvam *pollinctum* & *polluctum*, *pollinctor* & *pollintor* sunt distingvenda, & malè confunduntur, veluti BUDÆUS optimè docuit: *Polluctum enim cœna opipara, pollinctum verò cœna feralis, qvæ gentili more in rogum delata cum corpore cremabatur.* §. 7. Perperam igitur & confusè in Fo-

Spiegel. in Lexico Jurid.

Alciat. in l. maximarũ. C. de excus. mun.

J. Pollux Onom. l. VII. c. 33. p. 372.

Alex. ab Alex. l. 3. c. 7.

Festus in pollucere.

Plinius lib. XXXII. c. 2

Matth. Raderus ad Martial. lib. X. in pollinctor.

Turneb. lib. XXIIX. c. 31. Advers.

Plaut. Sticho.

Budæus annot. prior. ad ff.

Morell. thesaur. p. 944. Cato de R. R c. 5.

FORO qvoqve ROMANO legitur: *pollintor, νεκροφόρος, curator pistrini*; qvæ malè junguntur. Melius MORELLIUS: *Pollinctor*, Plaut. ὁ ἐνταφιαστής, ὁ κλεραστής, ὁ νεκρῶν κηδευτής. *Pollintor* Catoni, ὁ ἀλευροποιός, ὁ ἄλευρον ἀκριβῶς καθαίρων. Et nescio profectò, annon bonos illos viros deceperint *Pandectæ* l. c. ubi ULPIANUS statim post adductum illum de Libitinario & pollinctore servo locum, alium subdidit, ex eodem Labeone de pistoris servo, qvem cum pollinctore confuderunt. Et juvit fortasse TERTULLIANUS

Tertull. in Apolog.

Qvid differt ab epulo Jovis silicernium, à simpulo obba; ab aruspice pollinctor? Nam & aruspex mortuis apparet. Qvibus verbis explicat, qvo officio pollinctor fungi soleat, utpote mortuorū curator, sed in numerū Deorū relatorū, qvibus epulū apparabatur. §. 8. Alii TURNEBŪ

Turneb. adverſ. lib. 18. c. 21.

variantem in hoc seqventes, propter eandem rationem, qvâ E & O in alternas sedes subeant, veluti à *perliceor, polliceor* est deductum, *pollinctorem* vel *pellinctorem* qvasi *pellium unctorem* dictum & ductum autumârunt. Qvibus qvidem non usqve adeò refragamur, dummod' funus & corpus totum (qvod *pelle* capitur, ut apud Stoicos: *Tunde Anaxarchi pellem, Anaxarchum enim non tundis!*) inungi

Apul. in florid. 4.

ab illo intelligant. Atqve sic APULEJO sumitur: *Jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, jam os ipsius ungvine odoro delibutum, jam eum pollinctum, jam cœnæ paratum contemplatus.* Et

Marcell. l. XXI. fine.

AMMIANO: Pollinctum igitur corpus defuncti (Constantii) conditumqve in loculis Jovinianus cum regiâ proseqvi pompâ Constantinopolin usqve jussus est, propè necessitudines ejus humandum. Prout *Pollinctor* nihil aliud propriè est, qvàm νεκραλείπτης &

Gloss. Græcolatin. & Latinogræc.

in GLOSSIS CYRILLI & PHILOXENI *pollingo* est ταριχεύω νεκρὸν, id est, salsurâ mortuum macero. §. 9. Neqvaqvam verò nobis cum FR. JUNIO, CERDA, aliisqve pollinctura erit, qvasi *poliens*

Muret. cap. XIX. Var. lect. l. 3. Mart. lib. X Epigr. 97.

unctura, cum prima duplicata litera L producatur apud *Urbanum Scurram*, (uti MURETO indigitatur MARTIALIS:)

Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato.

§. 10. Sed plerorumqve tamen sententia hîc prævaleat, qvæ FULGENTII PLAC. qvondam fuit, ut *pollinctor* sit *pollutorum unctor*; (Veluti pollubrum, qvasi pollutorum pedum & manuum labrum dicitur:) Atqve ita per *pollincturam* mortuorum accuratio, vel *funeris tractatio, à qvo pollutio contrahebatur*, subinnuatur. Cum

Fulg. Plac. expos. serm. antiq.

enim

enim certum sit, corpora priscorum in funere ungi solita, hoc proprio verbo dictum *pollingere*, & qvi ungebant, *pollinctores*. PLAUTUS: *Cerda ad VI. Æneid. pag. 630.*

Nam mihi pollinctor dixit, qvi eum pollinxerat. *Plaut. Pænulo.*

APULEIUS, uti communiter legitur & à FULGENTIO citatur: *Pollinctor ejus funeris, dum unctionem parat*; Licet Dn. BARTHIUS ex hac recepta lectione aliam adstruere molitus fuerit. Atqve huc tendit qvoq; TERTULLIANUS, ubi *funestam religionem, & lugubres ritus & aram rogum, & pollinctorem sacerdotem* scitè composuit. §. 11. Qvod nominis & apud Veterem vulgatum sacræ Scripturæ legitur Translatorem in Propheta EZECHIELE: *Ut sepeliant eum pollinctores in valle multitudinis Gog*, id est, in Polyandrio. Ubi Glossæ MStæ in vetus & novum Testamentum ponunt: *Pollinctores, ossium vel cadaverum sepultores, & dicti qvasi polluctorum unctores, id est, cadaverum curatores.* Qvæ verba extima & PAPIAS (si emendetur:) & LYRANUS servavit. Et in ipso Propheta lustratam terram veluti cædibus & vulneribus pollutam simul qvoqve cognoscimus. §. 12. Qvod verò non apud Hebræos & Christianos modò polluti fuerint funerum tractatores, & inspectores, sed & apud Gentiles funesti & abominabiles, ea de re alibi à nobis actum est, & AMMIANUS loco proximè citato scribit: Joviniano protectori domestico, cum vehiculo insideret, qvod portabat reliqvias Constantii pollincti, occursus & alia Principibus offerri solita, imperium qvidem, sed cassum & umbratile, ut ministro rerum funebrium portendisse. Et docuit qvoq; illud FRAN. SYLVIUS: *Funestant*, id est, *funere & cæde polluunt; Romani veteres pollutum existimabant eum, qvi mortuum vidisset, ut apud VIRGILIUM Trojanos eos, qvi in Miseni funere fuerant*, Chorineus *Apul. Hermagora. Barth. Advers. lib. XXXVII c. 1. Tertull. adversus Gnosticos c. 7. Ezech. 39. Lyran. ad Ezechielem. Qvæst. Miscellan. 1. Fr. Sylvius Comm. ad Cic. Or. pro M. Fontejo & pro Mil.*

- - - *purâ circumtulit undâ,*
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ,
Lustravitqve viros, dixitqve novissima verba. *Virg. Æn. 6.*

Autore SERVIO, *ramum Cupressi Romæ ante domum funestam ponebant, ne qvis Pontifex per ignorantiam ingressus, pollueretur.* Est autem *funesta domus*, in qva qvis mortuus sit, ideoqve polluta. Ut apud TITUM LIVIUM *fœdum interpretatione Deûm nuncium* *Serv. l. III. p. 266. Liv. lib. II.*

incu-

intuiunt, mortuum ejus filium esse, funestaq; familia dedicare eum (Coss. Horatium) *templum non posse.* Apud Christianos qvoqve in Concilio Aurelianensi cap. 30. statutum: *De opertorio Dominici corporis, vel altaris, ne unqvam corpus dum ad tumulum evehitur, obtegatur, ne dum sacro velamine corpora honorantur, altaria polluantur.* Vid. Yvonis Decr. part. 2. cap. 142. §. 13. Qvin & Vespillonum atqve Carnificum (qvi & apud MARTIALEM ut fastidiosi & fastiditi homines & abominabiles conjunguntur) contactu polluebantur alii, ut apud CICERONEM *funestari concionem contagione carnificis vetui.* Sicuti qvoqve APULEJO *Libitinæ* metaphoricè obtrectatores sunt viles, ominosi, & qvales meritò ut funestos abhorreas: *Qvi igitur ex illis Libitinis huic Auditorio veluti macula qvædam se immiscuit.* Nam & apud VAL. MAX. qvô proximè laudabantur locô, tam *contemptus Libitinam exercentium, cum ministerio suo, grex audiebat, qvi aut non attingendo, aut non nisi in ultimâ parte collocandus foret, itaq; separatum locum ibidem obtinebant.* PLUTARCHUS hinc, Polim meminit, cum tabida longâ die cadavera occisorum in prælio Cretensium alii contrectare & attingere declinassent, commentum esse certas immunitates, qvas tribuisset iis, qvi sepulturâ affecissent defunctos, ac consecrâsse eos Diis inferis. Indeqve CATACAUSTAS, id est, pollinctores seorsim degere. Qvapropter isti vespillones vespertino tempore sine pompa funebri pauperes defunctos efferebant. MARTIANUS qvoqve illos ut turpes aversabatur: *Num ergò & si vespillonem aut aliàs turpem dederit hominem.* §. 14. Cognata aliàs pollincturæ, eandemqve exprimentia sunt nomina, *conditura, unctura feralis, medicatio cadaverum, aromatica corporum delibutio atq; lutatio, & barbarorum balsamatio,* â materia singula derivata, qvoniam cadavera humana aromatis, rebusqve aliis medicinalibus & balsamo imprimis aut huic virtute respondentibus succis ungerentur, medicarentur & condirentur, atqve amomis lutarentur, qvin & salirentur, unde HERODOTO ταρίχευσις sive salitura aut salsura indigitatur, qvod sale macerarentur, & sale qvoqve arefacta servarentur. Istud verò nomen â fine habet *si corporum perennaturorũ consecratio*, vel sacri corporis in æternum tempus conservatio cum CORIPPO, vel *seculis duratura compositio*, cum SENECA, aut *myrrhatorum corporum in-*

Mart. lib. II Epigr. 61.

Cic. pro C. Rabirio.

Val. Max. lib. V. c. 2. in Externis.

Plutarch. in qvæst. græc.

Mart. de solut. l. qvi decem.

Herod. lib. 2.

Cresc. Coripus de laud. Justini min lib. III.

Sen. de Tranqvill. cap. 1.

in ævum repositio cùm SILIO, & *conditura ad æternitatem* perhibeatur. §. 15. Et videbatur sanè *conditio sepulturæ* apud AUGUSTINUM à condiendo pro conditura qvoqve dicta, qvo pacto TERTULLIANO *corpora medicata condimentis sepulturæ* nuncupantur; qvando pulchro ordine ita ille scripserat: *Proinde omnia ista, id est, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exeqviarum magis sunt vivorum solatia, qvàm subsidia mortuorum.* Qvod prorsus & series velle videbatur, *prout admirabili cautione & prudentiâ ii libri scripti sunt*, observante qvoqve Dn. BARTHIO, qvi propterea tamen ordinem Augustini reformabat, qvia *conditio sepulturæ* pompas exeqviarum non antecedere, sed seqvi debuisset. §. 16. Cui reponimus aliud esse *condere sepulturam*, (id est, ut apud MARTIALEM Scrobem parare, qvod primùm qvoqve fieri poterat,

Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato:)

aliud *condere animam*; apud VIRGIL. utiqve hoc supremum munus & ultimum officiorum humanorum est, exeqviis omnibus ulterius. Verũ hîc de insepultis corporibus Christianorum loqvebatur Augustinus, *cùm desint ea, qvæ curandis funeribus, condendisq́; corporibus defunctorum adhiberi solent, nec efficiant miseros in occultis piorum sedibus jam qvietos, qvando nec vivorum culpa est, qvi non potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qvi non possunt ista sentire.* Ut ipsemet sanctissimus Hipponensium Episcopus, se ibidem explicat seqventi statim capite, ubi & aliâ serie *antiqvorum justorum funera officiosâ pietate curata & exeqvias celebratas & sepulturã provisam propter fidem resurrectionis adstruendam* addidit. §. 17. Qvo loco nec istud qvoqve celari debet, qvod etiamsi passim obvia sint illa, ut *curare ægrotos* PLAUTO, *reduviam curare* CICERONI, cui qvoqve *adolescentes gravius ægrotant, tristius curantur.* Et rursus: *Corpora curari possunt, animorum medicina nulla est.* Indeqve curatio corporis aut valetudinis vel *curatio* simpliciter Medicorum propriè esse DONATO dicitur, qvi propterea qvoqve *curatores* pariter dicuntur, sicut DOMITIUS MARSUS Epigramma scripsit *de Bavio Curatore.* Ast hoc singulare videtur, qvod *ut in §§. binis præcedaneis* S. AUGUSTINO *Curatio funeris* pollinctura dicitur, *cùm ea, qvæ curandis* (id est, pollingendis) *funeribus adhiberi solent, non desunt*: ita prorsus aliter, qvam apud Cic. cui *corpora* (viven-

Silius Ital. lib. XIII. Augustin. de Civ. Dei lib. I cap. 12. Tertull. lib. de resurr. carnis c. 27. Barth. Adv. lib. LIV. c. 1. Virgil. III. Æneid. August. de Civ. Dei lib. I. cap. 13. Plaut. Capt IV. 87. Cic. pro S. Roscio Amer. Id. de senect. Id. 3. Tusc. 8 Donat. ad Ter. Andr. Aug. de Civ. Dei c. 12. & 13.

tia scil.) *curari*, id est, sanari *poterant*. *Curare corpus* (scilicet mortuum) pro pollingere aliqvoties AMMIANO MARCELLINO fuit usurpatum, ut de Juliano Imper. *Corpore ejus curato pro copia rerum & temporis, ut ubi olim ipse statuerat, conderetur.* Et rursus de Joviano Imp. *Intervallato brevi tempore, Principis corpore curato* (*defuncti* hîc additur, qvod tamen ut censeo, glossema est) *missoq; Constantinopolim, ut inter Augustorum reliqvias conderetur.* §.18. Hæc de nomine ante rem, sed non absqve re præmittere visum est, qvam nunc tempestivum erit subjicere, *ne inter procinctus disputantium agens, ignota demum qvibusdam expediens, imitari videar desides nauticos, attrita lintea cum rudentibus, qvæ licuit domi parari securiùs, inter fluctus resarcire coactos & tempestates*: ut iterum loqvar cum AMMIANO.

Marcell. lib. XXV.

Idem lib. XXVI.

Idem l. XV.

QVÆSTIO II.

An liceat & fas sit, cadavera hominum condire?

§. 1.

CUM apud Sapientes prius omninò sit, *an & qvid res sit*, qvàm *cur sit vel fiat*, non injustè de eô hîc qværitur, qvod nec saniores & fortiores viri gentilium qvoqve sibi fieri exoptabant. Sic enim SENECA: Qvid opus est seculis duratura componere? morti natus es, minus molestiarum funus habet tacitum. Ideoqve & Appii inhumata umbra Scipionem apud SILIUM ITALICUM hisce alloqvebatur:

Seneca de Tranqvill. lib. & cap. 1.

Silius lib. 13

Qvod te per nostri Martis precor æmula facta,
Arce, qvæ patriis artus medicamina servant!

Qveritur de nimia suorum cura, & qvantocyus cremari rogat, itaqve *Medicamina exotica arcere à cadavere orat*: Atqve ideò Nob. BARTHIUS qvàm optimè emendabat;

Barth. Adv. l. VIII. c. 7.

Arce qvæ Phariis artus medicamina servant.

Qvod *Ægyptiorum notissimas condituras deprecaretur, ut qvæ consumi corpora non paterentur: Vellet autem more Romano tumulari, aversatus omne sepulturæ genus*, qvod mox ibi recensetur & à nobis qvoqve partim postea allegabitur. §.2. Ratio verò dubitandi ac negandi fortissima hæc erat, qvod ut antiqvissimus scriptor PHO-

Qv. & §. 5.

CYLI-

PHOCYLIDES etiam sentiebat, qvod ex terra nobis corpus sit, inqve illam, qvi pulvis sumus, rursus simus resolvendi: *Phoc. carm.*

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμέν.

Ut itaqve Dei severum decretum (*Pulvis es, & in pulverem reverteris:*) arietare isti videantur, qvi contra hanc toti generi humano dictam divinitus pœnam, marcida & pulverulenta *corpora siccare & qvasi ænea reddere cum Ægyptiis in more habeant*, ut BESOLDUS alicubi loqvitur. §. 3. Deinde cum in GENESI sacra tredecim funerum mentio fiat (ut à doctissimo nostræ ætatis Chronologo ABR. BUCHOLCERO observatum est,) nullum tamen eorum eo pacto, qvo capite 50. Jacobus Patriarcha & postea qvoqve filius ipsius Josephus, magnus Ægypti Pro-Rex, aromatibus conditum fuit. Qvin ut B. PERERIUS pronunciare non dubitavit *morem illum primũ Ægyptiorum fuisse, ab iisq; Jacob & Joseph esse aromatibus conditos, eo verò modò neminem legi in Scriptura Veteris Testamenti fidelium & cultorum DEI fuisse conditum & sepultum, nec ante Jacob & Joseph, nec post eos, usq; ad Assa Regem Juda, qvem traditur, post mortẽ positum esse super lectum suum plenum aromatibus & ungventis meretriciis, qvæ erant pigmentariorum arte confecta, qvæq; super eum ambitione nimia combusta sunt.* Mirum verò & illud *de Josephi cadavere* retulit SCHICKARDUS, *fuisse id fumo tostum & in aqvis Nili contra putredinem diutissimè asservatum, donec universus populus ex Ægypto egressus id secum in terram Canaan asportâsset.* §. 4. Et ut maximè in N. Testamento ipsemet Salvator adhuc vivus â Maria Magdalena unctus, & instanti sepulturæ præparatus, ut & ab eadem cognatisqve mulierculis aliis die paschali in monumento condiri debuerit, ab his tamen conditus non fuit: Sicuti nec Lazarus, qvi post qvatriduum statim fœtere cœpit, tametsi non de fæce vulgi, sed ut vir nobilis in prædio suo prope castellum Bethaniæ degeret, inunctus, at linteis tantummodò & sabanis contectus & involutus fuit, ut infrà ex ARNOBIO qvoqve patescet. §. 5. Gentiles igitur, neqvaqvam verò fideles fuêre, qvibus pollinctura ista in usu fuit, nam ut historicorum Græcorum vetustissimus, eorumqve & historiæ qvasi parens, (ut eum CICERO appellavit) auctor est locupletissimus, non Ægyptios modò myrrhâ & casiâ, aliisqve odori-

Gen. III.
Besold. in consid. polit. vitæ & mortis l. III. c. 11. f. 952.
Vid. Pelarg. ad Gen. pag. 686.
Bened. Perer. Comm. & disp. in Gen. Tom. 4 f. 1042.
2. Par. c. 16.
Schic. de jure Regio Hebr. c. 6.
Marc. XVI.
Qb. & §. 7.
Cic. 1. de Legibus.

 bus,

Herod.lib.I. & lib. IV. Cic. 1. Tusc. Vid. Magius in Necrotaphologia. Brisson. de Persis. P. Victorius l. X. Variarum cap. 6. Corn. Nepos in Agesil. & Plut. in vita ipsius. Gemistus Plethon de gestis Græc. post pugnã Mantineam Herod.l.III Camer cent. 2.hor.subcis c.70. Methodius l. de resurrect apud Oecumenium in 2.adCor.c.7 Lorin. in c. 9. Act. Apost. v.37. Ascon. in divinat. J.C. Scal 3. Poët.c.20. Barth. Adv. l.49. c.20.

bus, sed & Babylonios melle atqve adeò cerâ, cum mel non haberent, mortuos circumfudisse. Id qvod ipsum Scythis qvoqve idem tribuit. Atqve ea & ipse CICERO confirmabat: *Condiunt Ægyptii mortuos, & eos domi servant. Persæ jam cerâ circumlitos condiunt, ut qvam maximè permaneant diuturna corpora.* AGESILAUM qvoqve vitâ functum amici, ex portu Menelai inter Cyrenas & Ægyptum, ut Spartam commodiùs perferri posset, cerâ oblinebant, atqve ita domum referebant. Qvin & olim Æthiopes gypso suos mortuos jam arefactos induxisse testis est sæpè laudatus HERODOTUS. At illi ad unum omnes pagani fuêre. Nam & hisce adhuc temporibus, qvæ circa Pyramides balsamata eruuntur corpora, integra atqve incorrupta imagines Isidis, patronæ singularis Ægyptiorum, inclusas pro visceribus gerere compertum est, veluti CAMERARIUS annotavit. §. 6 Qvicqvid tamen ejus rei sit, ut à postremo incipiamus, nec infideles qvoqve omni ratiocinatione de immortalitate animæ & corporum futurâ resurrectione fuêre destituti; Sed plerisqve omnibus mortalium animis divinitus hoc inscriptum insculptumqve penitùs semper fuit, ipsos esse immortales; & qvamvis morte â corporibus suis dissociarentur, cum his tamen collegis suis aliqvando iterum esse reduniendos. Tantoqve magis antiqvissimi & sapientissimi qviqve non sepulcralium modò locorum, tumbarum & urnarum, sed ipsorum qvoqve corporum depositorum, ut qvàm diutissime incorrupta conservari possent, diligentem curam susceperunt. *Qvæcunq; causa*, infit LORINUS, *gentiles impulerit, (apud qvos delubra, teste ASCONIO, dicebantur, in qvibus essent labra corporum abluendorum mortuorum) haud dubium, qvin pii amorem erga defunctos, & resurrectionis spem omni hoc adhibendo circa illos cultu declarare velint.* De his connatis unicuiqve immortalitatis seminibus, cujus adeo appetentes simus, ut & sepulturæ prospiciamus & nolimus cadaver nostrum male haberi, sed ut animi comes & domicilium qvoad fieri possit, æternitate perfruatur; V. SCALIGER Trismegistus, & C. BARTHIUS in Advers.

Plin. lib.7. nat. hist. cap.35.

§. 7. Et talis *de asservandis corporibus hominum* religio *ac reviviscendi promissa veritas* (non ut PLINIUS delirabat, *vanitas, qvod nec ipse DEMOCRITUS qvi hæc tradidisset revixisset*,) multis qvoqve gentilium penitus fuit persvasa. Ut VARRO non injuriâ

qvæ-

qvæsiverit, *qvare Heraclides Ponticus plus saperet, qvi præcepisset ut combururent, qvàm* DEMOCRITUS, *qvi, ut in melle servarent.* Qvò pertinent LUCRETII versus:

Nam si in morte malum est, malis morsuq; ferarum
Tractari, non invenio, qvi non sit acerbum,
Ignibus impositum calidis torrescere flammis;
Aut in melle situm suffocari, atq; rigere
Frigore, cum in summo gelidi cubat æqvore saxi.

Varro περὶ ταφῆς apud Nonium Marcel. in voce vulgus.
Lucret. Lib. III.

§. 8. Sed multò magis hoc creditum credentibus, de qvibus TERTULLIANUS ex Esaia: *Qvia in cellis promis caro salita & usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore; Proinde & corpora medicata condimentis sepulturæ, mausolæis & monumentis seqvestrantur, processura inde cum jusserit Dominus.* Illa itaqve cadavera ungendi consvetudo à Judæis postea ad Christianos qvoqve transiit, ut qvibus inter crimina objiciebatur apud MINUTIUM FELICEM Causidicum Romanum: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis ungventa funeribus.* Qvod & apud Græcos Christianos obtinuit, ut CLEMENS ALEXANDRINUS indicat: *Nimiæ ungventorum unctiones, justa, qvæ fiunt mortuis potius, qvam familiarem vitæ consvetudinem redolent.*

Tertull. lib. de Resurr. carn. c. 27.
Minut. Felix Octavio pag. 8.
Clem. Alex. lib. II. pædagog. c. 8.

-- *Ut matutino sudans Crispinus amomo,*
Qvantum non redolent duo funera, JUVENALI carpebatur.

Juvenal. Sat. IV.

§. 9. Contra eos verò, qvos principe loco allegabamus, divi AUGUSTINI disputatio aptari posse videtur: Nam cum qvidam asserent, terrena corpora incorruptibilia fieri & æterna non posse propterea, *qvia terræ terra reddenda esset, unde animalium terrestrium sumpta forent corpora, ex qvo fieret, ut ea necesse esset dissolvi & emori, ac eo modo terræ stabili ac sempiternæ, unde sumpta fuissent restitui.* Regerit Hipponensis Episcopus: *Si qvis hoc etiam de igne similiter affirmet, reddenda esse universo igni, qvæ inde sumpta sunt, ut cœlestia fierent animalia.* Et alibi: *Qvando ipsius carnis & membrorum omnium reformatio non solum ex terrâ, verum etiam ex aliorum Elementorum secretissimo sinu, qvo dilapsa cadavera recesserint, in temporis puncto reddenda & redintegranda promittatur.* §. 10. *Nec ideo tamen contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum, ma-*

August. lib. XIII. de civ. Dei cap. 17.
1. Cor. XV.

ximeq;

Mat. XXVI *ximeq; justorum atq; fidelium, qvibus tanqvam organis & vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus, eiq; placent etiam talia pietatis officia, ut ipse qvoq; Dominus die tertia resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus prædicârit, prædicandumq; commendârit, qvod ungventum pretiosum super membra ejus effuderit, atq; hoc ad eum sepeliendum fecerit.* Ut hæc qvoqve ex ipso AUGUSTINO paulò superiùs allegatis capitibus huc repetamus, & per obliqvum qvæstioni huic colophonem imponamus.

Aug. de civ. Dei lib. I. c. 12. & 13.

QVÆSTIO III.

An ergò promiscuè omnes conditi & condîti, & adhuc condiendi?

§. I.

Alex. ab Alex. Lib. III. cap. 2. è Plinio lib. VII. cap. 54 Liv. Decad. 4. l. 10. Val. Max. l. & c. 1. n. 12. Plin. l. XIII cap. 13. Cic. lib 2. de legibus Plin. L. VII. cap. 54. Plin. l. XIII cap. 1.

QVamvis Romanos olim ab ortu Urbis defuncta corpora humi condere neq; cremare consvevisse, illud argumento fuerit,* qvod Numæ Pompilii corpus in arca lapidea post multa secula â Cneo Terentio in Janiculo inventum vetustissimi autores tradidissent. *Postea cum longinqvis bellis defunctos erui cognovissent, ut igni cremarentur, decreto sanxisse volunt Cornelii Syllæ tempore. Inde mansit diu defunctos cremandi consvetudo, donec Antoninis imperitantibus abrogato illo more denuò corpora humi condi cæpissent.* Interea nihilominus temporis *in tantũ odores ad defunctos pertinere creditum est, ut qvamvis cremarentur, ungventa tamen & odores flammæ injicerent.* Ast qvi Pythagorei fuerant, non ungventis, sed foliis populi, myrti & aloes stipati humo mandabantur, sicuti Marcus Cato condi & humari voluit. §. 2. Mulierculas imprimis illustres ita non modò condi, verùm etiam condiri placuit. Sic enim *Poppeæ corpus non igni abolitum, ut Romanus mos tulisset, sed regum externorum consvetudine differtum odoribus condiebatur tumuloq; Juliorum inferebatur,* TACITO annotante. Nec aliud Pontifice SIXTO IV. præsidente compertum, cum Romæ in via Appia è regione Ciceronis conditorii mulieris adolescentulæ cadaver, qvod Tulliolæ fuisse conjectatum est, idqve aromatibus ita conditum erat, ut temporis injuriam non sensisset, utpote cum in eo viserentur capilli, aureo impliciti reticulo, facie, oculis, naribus & reliqvis lineamentis prorsus integris, nisi qvod vestigia liqvaminum & ungventorum, qvibus delibutum fuerat, apparerent, specie recenti,

Tacit. Ann. Lib. 6. Cœlius Rhodigin. Lib. III. antiq. lect. cap. 24. & Alex. ab Alex. l. III. dier. genial. cap. 2.

centi, summâ omnium admiratione, reperiri aliqvid, in qvod anni M.D. ferè nihil prorsus evaluissent, cæterùm *cadaver in urbem delatum tridui mora computruit, medicamine, amoto aut vitiato.*

§.3. Non modò verè consultum rebus communibus VARRO credidit, qvod non vulgus DEMOCRITUM corpora melle servantem secutus fuisset, cum aliâs vix centum denariis calix mulsi emi posset; verùm etiam PLINIUS, si æstimarentur toto orbe singulis annis tot funera, acervatimqve honori cadaverum congesta thura, qvæ Diis per singulas micas darentur, tum non mirum esse, cur Arabia felix dicatur, ingrata tamen cognominis, qvæ hoc Superis acceptum ferret, cum plus ex eo Inferis deberet, urendis defunctis adhibens, qvæ Superis genita intellexisset, unde beatam illam fecisset hominum etiam in morte luxuria, cui vix tantum ferre illam posse annuo fœtu periti rerum asseverâssent, qvantum Nero Princeps novissimo Poppeæ suæ die concremâsset. Itaqve cum profusione in cadaver urendum, qvàm in Deorum cultû impensâ thus emi oporteret & reliqva odoramenta, non dubium est, qvin omnes tanto sumptu condi haud potuerint, sed saltem summatibus illud contigerit. §. 4. In Alexandri Magni funere illud singulare est, qvod per aliqvot dies ne minimo qvidem livore istud corrumpi, nec vigorem destituisse vultum viderint Ægyptii & Chaldæi, qvi suo more condire corpus jussi, non audebant admovere veluti spiranti manus, donec alii cadaver attrectâssent, tum demum illud purgavêre, odoribusqve replevêre. Sed melle præcipuè oblitum istud incorruptum perdurâsse monstrant hi PAPINII versiculi:

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger Urbis
Conditor Hyblæo perfusus nectare durat.

§. 5. Et certè condituram diversam fuisse oportuit, aliâs impossibile fuisset, omnes illâ frui potuisse. Sicuti BELLONIUS de *Ægyptiis* observavit, *qvod nemo moreretur, cujus funus qvocunq; modo non condiretur, Pissasphalto puta vilissimo saltem: Germanis contra struem rogi nec veste, nec odoribus cumulare licebat.* Corpora verò CL. virorum, dum igne accenso arderent, pro dignitate, proqve opibus, qvibus qvisqve potens erat, ita conjunctissimi qviq;, præter alia, *flammæ indidêre thura, ungventa & odores omnium generum, qvos lancibus ferebant. Qvare multos copia odorum ad pyram exanimatos, &*

Varro apud Nonium Marcell. in Vore vulgus
Plinius lib. XII. c. 8.
Q. Curtius fin. lib. X.
Plutarch. in Vita Alex.
Statius Papin. in Sylvis
Bellon. lib. 2 Observ. c. 47
Alex. ab Alex. lib. III. c. 7. è Tacito lib. de moribus Germ.

præter infinita odoramenta in funere Syllæ statuam justæ magnitudinis ex odoribus absumptam comperimus. Qvæ verba ALEXANDRI postrema arguunt, media qvoqve non de Germanis, sed de Romanis capi debere. Veluti qvoqve AN. TIRAQVELLUS ad Alexandrum observavit. §. 6. *Christianos* qvod concernit, *condi qvidem omnes consvêsse, non æqvè condiri*, CASAUBONUS verè statuit. Non paucos tamen virorum sanctorum & martyrum potissimùm cum aromatibus sepultos, non modò ipsorum reliqviæ & arculæ monstrant, sed & TERTULLIANUS satis superqve evincit: *Thura planè non emimus*, scribit; *si Arabiæ qveruntur, scient Sabæi pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, qvàm Diis fumigandis.* Qvi locus paria facit, cum illo PLINII modò allegato, cumqve PAPINII in funere Priscillæ:

Casaub. Exerc. XVI. contra Baron. n. 112. Tertull. Apolog. c. 42. Stat. lib. IV. Sylv.

- - præreptaq; templis Thura.

§. 7. In Christianis utiqve Principibus & Antistitibus usitatæ & adhibitæ pollincturæ observata nobis sunt qvædam exempla minimè vulgaria, ut in funere JUSTINIANI Imperatoris, qvod his versiculis pereruditis CRESCONIUS CORIPPUS descripsit & proposuit:

Coripp. de laud. Justin min. lib. III.

Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum aliæ species, ungventaq; mira feruntur,
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Mitto hic CEDRENUM, qvi locum, ubi conditi multi Constantinopolitani Imperatores essent, μυρέλαιον vocat, ab ungvento & oleo medicatorum. §. 8. Sic Lotharius Imperator ex Italia redux per Tridentinam vallem, Veronæ morbo correptus, inter Oenum & Lycum mortem obiit, corpus exenteratum per Augustam & Orientalem Franciam in Saxoniam delatum, inqve monasterio Lutter, qvod ipse exstruxerat, sepultum, CUSPINIANUS prodidit. Nec ita pridem CRANTZIUS, qvod oculis suis conspexerat, scripturâ suâ contestatus est, *Alberti Magni cadaver*, cùm è sepulchro extractum post CC. annos, in medio choro extructo tumulo suprà pavimentum collocatum esset, integrum repertum fuisse, nullâ deformatione, nisi qvòd mandibula parùm videretur collapsa, sive balsami

Cuspin. in Impp. Crantz lib. IIX. Metropol. c. 51.

mi

mi beneficio, sive Dei miraculo. §. 9. Ut in pauca conferamus: EUCHERIUS Lugdunensis Episcopus ad Mariæ Magdalenæ factum hoc Christi responsum protulit: *Significatio est, non perditio: In proximo passurus sum, ideoq; mulier ungventum hoc mihi attulit ad sepeliendum, mos enim antiqvitùs fuit, qvod nobilium corpora sepelienda condirentur, & cum aromatibus sepelirentur.* §. 10. Nec qvenqvam prætereat, fuisse *hanc uncturam nobilitatis indicium*, cùm scribat CICERO, cautum lege, ne servi in funere ungerentur. Ut benè CERDA ad illud Virgilii in funere Miseni notaverat:

Eucher. Homil. in vers. 2. cap 26. Matthæi.

Cic. 2. de legibus.

Joh Ludov. de la Cerda, ad VI. Æn.

- *Corpusq; lavant frigentis & ungunt.*

Nam & COELIUS observavit post LACTANTIUM Grammaticum, à qvo libro qvarto Thebaidos relatum fuit, *locupletum nec nobilium modò funeribus adhiberi solitam Cupressum*, qvod LUCANUS adstruere visus fuisset:

Cœl. Rhodig. A. L. l. XV. c. 2.

Lactant. ad Statium.

Et non plebejos luctûs testata Cupressus.

Lucan. Pharsal.

§. 11. Ipsi Romani cùm aliàs τὰς εὐψύχους & divites *beatos* dicerent; At nescio tamen, qvam beatitudinem externâ suâ pollincturâ & pompâ funerali opulentâ atqve sepulturâ minus vulgari aucuparentur. HORATIUS:

Omnes composui felices, nunc ego resto.

Horat. lib. 1 Sat. 9.

STATIUS in pietate Abascanti, cum ver Arabum præreptaq; templis thura præmisisset,

Stat. lib. IV. Sylv.

- - *Illam tranqvillo fine solutam*
Felicemq; vocant. Et rursus: - *Beato*
Composuit Priscilla thoro.

Qvo refer & illud NASONIS: - - *Diciq; beatus*
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Ovid. 3. Metam. v. 136.

Atqve iterum HORATII istud:

Hor. Epod. 8.

Esto beata, funus atq; imagines
Ducunt triumphales tuum.

§. 12. Etiamsi verò illâ funerum ambitione, qvam invidiosè irridet PERSIUS, (ut ejus exponit Scholiastes) non μακάριοι dicerentur mortui, nec ritus ἀποθεώσεως significaretur, cum non esset Romanæ consvetudinis; Qvia tamen pretiosiore & splendidiore nunqvam habitu, qvàm eo, qvo efferretur, indutus fuerit mortuus,

Pers. Sat. 3. v. 103. & Cornutus ejus Scholiastes.

Itaqve dicit Poëta:

— Hinc tuba, candelæ, tandemq́; BEATULUS alto
Compositus lecto, crassisq́; lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit, & illum
Hesterni capite induto subière Qvirites.

§. 13. Qvin ob hanc hominum etiam in morte luxuriam, felicem dictam & beatam factam Arabiam è Plinio modò stomachabamur, qvæ Diis genita thura ingrata honori cadaverum acervatim congereret. Certè inter gentiles qvoqve Pompejanus Poeta, non qvi in oculis hominum felices aut præclarè cônditi & condîti sint, beatos censebat, sed bonos & probos, qvos Deus ad se recipere dignatus est,

Plin. lib. 7. cap. 18.
Luc. Pharsl. lib. IX.

Et æternos animam collegit in orbes,
Non illuc auro positi, nec thure sepulti   *Perveniunt.*

QVÆSTIO IV.

Qvem usum & finem pollinctura habeat?

§. 1.

Cùm omnium rerum, qvas suscipimus, certus aliqvis scopus & utilitas præsumpta esse debeat, qvæ ad agendum præsertim rem tàm tædiosam, tamqve periculosam, ne dicam turpem, nos incitare valeat, â qva ipsa qvoqve intentione, res vel bona, vel mala mereatur pronunciari; Et verò certum sit, unius ejusdemqve rei diversos fines & usus dari, qvorum tamen unus sit præcipuus, cui alii subserviant: Idcirco qvidam *triplicem finem* conditur æ cadaverum humanorum attulerunt; Physicum, Politicum & Theologicum. §. 2. *Physicum qvidem*, ut fœtor pollincturâ â corpore mortuo submoveatur & abigatur, & id qvàm diutissimè incorruptum & putredinis expers præservetur. Qvem BASILIUS M. hisce verbis significavit: Ἡ μὲν οὖν σμύρνα, ὅτι ταφῆς ἐστὶ σύμβολον, καὶ ὁ Εὐαγγελιστὴς ἡμᾶς Ἰωάννης ἐδίδαξεν εἰπὼν, ὑπὸ Ἰωσὴφ τοῦ Ἀριμαθαίου ἐντετάφθαι μετὰ σμύρνης καὶ ἀλόης. Et PHILO Carpathius *virgulam fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris ascendentem* interpretatus est: *Myrrhâ defunctorum corpora condiuntur*

Melch. Sebizius de conditura.
Basil. M. in Ps. 44. p. 106
Philo in Cant. Canticorum.

ne

ne putrescant: Thura, ut benè oleant, incenduntur: Illâ cuncta carnis vitia & sensûs omnes illecebræ domantur, ne delectatione scelerum vertatur in saniem: His docetur anima, ut mundæ fiant, planeq; acceptæ sponso orationes omnes ac preces. Διὰ ταῦτα Αἰγύπτιοι ταριχεύουσι τοὺς νεκροὺς, ἵνα μὴ κείμενος ὑπὸ εὐλέων καταβρωθῇ. Iccircò Ægyptii condiunt mortuos, ne à vermibus consumi possent. Herod. l. 2. Stobæus sermone 120.

§. 3. *Politicum* autem, ut qvos vivos ob statûs sublimitatem magnifecimus, eorum qvoqve corpora defuncta reverenter habeamus: utq; ita condita sint cognatis, ad virtutes ipsorum imitandas, monumenta & incitamenta. Sic multi Ægyptii progenitorum corporibus domi magno sumptu conditis, respicientes suorum imagines, viventium magnitudine & habitu à longâ progenie ductas, tanqvam viventium aspectu animo oblectabantur DIODORO indice. Diod. Sicul. l. 1. c. 8. Æthiopes qvoqvè exanima corpora vitro operta, ita ut integra spectentur & posteris spectaculo sint, asservare ALEXANDER tradebat. Alex. ab Alex. l. 3. c. 2. §. 4. *Theologicum* deniqve, ut condituram balsamicam contemplantes, de æternitate & resurrectione carnis aliqvatenus moneamur, dum corpus, qvoad licet, conditurâ istâ qvasi perennare facimus. Ita *istas peregrinitatis merces non adpigmenta modò medicinalia, sed & ad solatia sepulturæ usui esse hominibus*, TERTULLIANUS sentiebat. Tertull. l. de Idololatria c. 11. Nam *Deo etiam talia pietatis officia erga ipsius vasa & organa exhibita placere* ex AUGUSTINO paulò antè perspeximus. Aug. lib. 1. de C. D. c. 13 qvæst. 2. Cujus rei argumenta in omni antiqvitate & apud fideles qvoqve, nõ in conchyliis modò & sacellis sanctorũ, sed & in cryptis atq; Româ subterranea, inqve Regum & Principum Mausolæis passim reperimus. V. Roma subterr. §. 5. Sed commodior erit διχοτομία, si *finem internum* dicamus ipsam putredinis & fœtoris physicam averruncationem; 1. Macc. 13. *Externum* verò pietatem erga parentes, & qvi parentum loco sunt principes, sub spe resurrectionis & æternitatis; Internus ille Physicus in omni pollinctura fuit, atqve etiam nunc est, sed non æqvè & externus. §. 6. Nam & apud Romanos cæterosqve rogis gaudentes populos unctio qvoqve feralis adhibita, non autem ut tantò diutiùs corpora asservarentur, sed *qvò celerius arderent, & oleum infusum incendia ipsa cumularet*. Qvam rationem DONATUS assignavit, hanc adjiciens, *ut meritum mortui specierum fragrantiâ probaretur*: Donat. in 6. Æneid. Tum verò *fœtori ustrinæ emendando* (ut APULEJUS censebat) Apul. Ap. 1.

Alex. ab. Alex. l.3. gen. dier. c.7. bat) nevè is adstantium nares feriret. Atqve ideò *pyra Cupresso circumdata fuit, propter gravem cremati corporis nidorem, ne tetro odore abigerentur proximates.* Id qvod omissum, ab amica PROPERTII defuncta in somno ei exprobabratur:
Propert. lib. IV. Eleg. 7.

Cur nardo flammæ non oluêre meæ.

§.7. Qvid qvod & post combustionem ipsi cineres ungerentur, propter eandem causam, ut apud OVIDIUM:
Ovid. 3. Fast

Mista bibunt molles lacbrymis ungventa favillæ.

Pers. Sat. 6. v. 35. Et apud PERSIUM iratus hæres: - *Urnæ*

Ossa inodora dabit, seu spirent Cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ nescire paratus.

Sat. 1. v. 39. Et fortassis ejusdem qvoqve huc referas:

- - - *Nunc non e manibus illis,*
Nunc non è tumulo fortunataq; favilla
Nascentur violæ?

§.8. E qvibus Persianis postremis versiculis & usum Theologicum gentilium, qvamvis eorundem pariter & fidelium *problemate II.* satis inculcaverimus, peculiariter tamen *ad Stoicorum sententiam* adhuc paucis attingamus: *qvi tamdiu durare dicebant animam, qvamdiu duret & corpus*; (juxta qvod vel in qvo ea manebat) *Unde Ægyptii periti sapientiæ condita diutiùs reservabant cadavera, scilicet ut anima multo tempore perduret, & corpori sit obnoxia, nec citò ad alia transeat.* Veluti SERVIUS ad illa Virgilii verba: *Animamq; sepulchro condimus*, ceu obnoxiam corpori, attestabatur.
Servius in 3 Æn. p. 267. V. Bond. ad 1. Sat. Horat v. 39. V. Polydor. Virg. lib. 3. c. 10. de Inv. Virgil. Æn. 3. v. 67.

§.9. Qvô locô & illud memorabile ad Physicum usum pertinet, qvod THUCYDIDES historia secunda prodidit, arcas fuisse ex Cupresso, qvibus eorum asservabantur ossa, qvi in bello fuissent cæsi. Id solitum fieri διὰ τὸ ἄσηπτον εἶναι, *qvòd putredinem arbor nesciat.* Confirmatur id à RHODIGINO fide historicâ. In eâ namqve materiâ præter cæteras arbores nitor maximè valet æternus. Sic & à PLINIO *mitis lapis Chernites commendatur servandis nec absumendis corporibus, ebori simillimus, in qvo Darium conditum ferant.*
Thucyd. lib. 2. hist. Cal. Rhod. lib. XXV L. c. 2. Plin. lib. 36. c. 17.

§.10. Præter hos fines & alius qvidem singularis Ægyptiorum fuit, qvem Asychis, eorum post Mycerinum Rex reperit, HERODOTO in Euterpe tradente, ut qvibus opus erat grandi pecuniæ
Herod. lib. 2

sum-

summâ, eam oppignorato parentum conditorum cadavere facilè ab aliis impetrarent, qvòd scirent, vitam potiùs, qvàm fidem debitori huic defuturam, ut qvi, nisi solveret, non sepulchri modò potestatem omnem penes Creditorem cum majoribus suis relicturus esset, sed cum posteris suis sepulchro qvoqve cariturus. Qvâ de re TELES, qvi ludum qvendam esse putabat, qvicqvid circa sepulturam fieret; cùm nos â conspectu tactuqve mortuorum abhorreamus; alii verò σκελετεύοντες desiccata corpora, ceu qvippiam egregium domi habeant καὶ ἐνέχυρα τοὺς νεκροὺς λαμβάνουσιν, & loco pignoris mortuos accipiunt. *Stobæus sermone 38.* §. 11. Idem verò vetus historicus HERODOTUS in Thalia & istud de Æthiopibus narravit, qvòd non modò Ægyptiorum imitatione suos demortuos arefecerint, sed totos gypso obductos, & picturâ, qvoad possibile esset, ad effigiem ipsorum repræsentandam exornatos ita vitro indiderint, ut nihil ingrati odoris aut fœditatis inde manaret, sed omnia sibi similia haberent. Hos qvotannis passim in Urbe conspicandos proponebant, rerum ipsis primitias & hostias offerentes. *Herod. lib. 3. Alex. ab Alex. l. 3. c. 2.*

§. 12. Physico fini & ille subordinatur usus, ut cùm in obsidione Urbium vel præliis Duces belli aut alii qvoqve Magnates militiæ oppetant, qvos non statim sine omni pompa funerali condi fas sit, condiri ergò eos oportebit, & pro copiâ rerum ac temporis curare corpus, ut ubi olim ipsi statuerint, condantur, qvod de Juliano suprà è MARCELLINO adduximus; Ne postea, cùm exeqviæ ducendæ ac celebrandæ, funus ipsum putredine ac putore omnes abigat exeqviatores. *Amm. Marcellin. l. 75.* Qvod etiam contingere solet, si aliqvis in terrâ peregrinâ moriatur, atqve domum prius revehendus, qvàm sepeliendus, illa namqve vectura & agitatio, nisi benè præmunitum sit, corpus corrumpere æstivis præsertim solibus svevit, ut præ fætore vix tolerabile & supportabile videatur. §. 13. Prioris modi exempla in Lacedæmoniis Agesilao & Agesipoli suppetunt; posterioris verò apud Gerros Scythicam gentem, qvi regem mortuum accipientes corpore incerato, alvo evulsâ atqve expurgatâ, qvam ubi silere contuso & thymiamate apiiqve semine & anisi expleverunt, consuunt rursus: Impositumqve plaustro cadaver per regionem & omnes ejus provincias circumvehunt, anteqvam contumulent. *Herod. l. IV.*

§. 14. Regibus qvoqve & Imperantibus sæpenumerò usu venit mor-

mortuis, ut subditi vel perduellionem concitent, aut aliqvot æmuli & candidati de regno contendant, ut igitur â defuncto designatus vel hæres vel successor, sine turba succenturiari valeat, dissimulari aliqvandiu obitum illorum interdum oportet, id ut sine incommodo fiat, pollincturâ opus est. §. 15. Frotone III. Danorum Rege CL. mortuo, salitum corpus triennio proceres asservandum curavere, & qvasi præ senio nec pedes incedere, nec eqvo vehi posset, regio curru circumvexere, provinciarum defectionem vulgato regis exitu formidantes: At ubi putidos artus extrema corripuit sanies, nec tabes reprimi poterat, secus Weram Sialandiæ portum regio funere tumulavere corpus, affirmantes, Frotonem eo loci mortis & busti copiam exoptâsse, ubi regni ejus præstantissima provincia haberetur.

Saxo Grammat. lib. V. Dan. Hist.

QVÆSTIO V.

Qvotuplex sit pollinctura?

§. 1.

EJam dictis diversis & subordinatis tamẽ usibus colligitur qvoqve divisio pollincturæ, atq; adeò diversa etiã forma & modus condiendi cadavera. Nam qvi vel ob sepulturam modò differendam & procrastinandam, & fœtorem saltem dispellendum ac prohibendum, vel etiam ut flammam citiùs cadaver conciperet, nec adverso odore lugentium nares offenderet, corpora pollingebant, illi satis habebant, foris solmumodò aromata, olea & ungventa adhibere, floresqve adspergere. §. 2. Alii verò, qvibus in animo erat, corpora ab omni putredine immunia reddere & qvasi æternitati reservare ac consecrare, illis necessaria erat corporum dissectio, exéteratio & siccatio. Nec enim perennare possunt, nisi partes, qvæ putredini, fœtori & vermiũ generationi maximè obnoxiæ sunt, auferantur & removeantur, sordibusq; abstersis elutisq; reliqvæ partes decenter condiantur, atqve malo cuivis obvietur. §. 3. Prior ungendi corpora defunctorum consvetudo, qvâ ungventa & aromata cum corpore fasciis involvebantur, Ebræorum fuit: At posterior, cûm exenterato ventre, exemptisqve sordium & humorum receptaculis, & cerebro per nares extracto, ungventis intus corpora farciebantur, Ægyptiorum usurpatio fuit, atqve hoc propriè ταρι-

χεύειν

χέειν & condire defunctos, ut illud ἐνταφιάζειν & *condere*, atqve ungventis delibutum sepelire fuit. Sicuti Joh. XIX. *acceperunt corpus JESU & ligaverunt illud linteis cum aromatibus*, καθὼς ἔθος ἐςὶ Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν, *sicuti mos est Judæis sepelire.* Qvod etiam ἀλείφειν vocabant, ut Marci XVI. Auctor tragœdiæ Christus patiens μυρίζειν, hoc est, odoramentis ungere, *Joh. 19, 40.* *Marc. 16, 1.*

Δέμας νεκροῦ τοῦ μυρίσαι κατ' ἔθος

id est, *corpus mortui odoramentis ungere, secundum consvetudinem.*

§. 4. Qva de re inspici potest CASAUBONUS in Exercitationibus, ubi contra BARONIUM & ipsum qvoqve Tacitum negat, *condire aromatibus corpora defunctorum ab Ægyptiis Judæos esse mutuatos*, qvi illorum *condiendi modo* non gavisi, *condendi* verò ante ipsos usi fuissent, & externam solummodò pollincturam habuissent, apud alias qvoq; gentes usitatam. Ceu MADAURENSIS Philosophus etiam hanc innuit, qvi qvamvis mortuum *miserum pollinctum, os ungvine odoro delibutum, adeoq; membra omnia aromatis perspersa* dixisset, non evisceratum tamen vel mutilatum dixit, aliàs enim Asclepiades ipsum nunqvam ad superos revocaturus fuisset. §. 5. At verò Ægyptiorum intentio cum alia planè esset, itaqve & alia fuit consvetudo, capita defunctorum cerebro & ventres intestinis evacuandi, & utraqve condimentis farciendi, ut ex HERODOTO & DIODORO SIC. manifestum est, â qvibus etiam alii hoc accepêre, uti SILIUS Italicus inter cæteros ostendit: *Casaubonus Exerc. XVI num. 122.* *Apulejus Florid. 4.* *Herod. & Diodor. Sic. libb. 2.* *Silius Punicor. lib. 13.*

- - - - Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo

(vel ut Heinsius: *taxo*)

Corpora, & à mensis exangvem haud separat umbram,
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longum myrrhata reponit in ævum.

Nec aliter fecere Babylonii, de qvibus STRABO, eos lugere mortuos suos, Ægyptiorum more, & sepelire illos in melle, κηρῷ περιπλάττοντες τὰ σώματα, *cerâ corpora oblinentes.* Qvâ de re in prægressa qvæstione plura populorum exempla vidimus. *Strab. Geograph. l. XV*

§. 6. Apud DIODORUM tres *funerum curandorum species* commemorantur, *sumptuosa, mediocris, & humilis ac tenuis.* Unius- *Diod. Sicul. lib. 2. cap 5.*

cujusqve illarum descriptam impensam domesticis defunctorum apud Ægyptios afferebant illi, qvi eo exercitio funera mortuorum curandi à majoribus tradito fungebantur, sciscitantes, qvanto velint sumptu funus celebrari: cum *in primam* argenti talentum insumeretur, *in secundam* minæ XX. sed *tertia* perexiguo constaret sumptu. §. 7. Primam & sumptuosissimam rationem per LXX. dies ex parte dimidiâ ungendo, ex reliqvâ saliendo insumebant. Nam ubi primùm Grammaticus sive scriba appellatus, posito humi corpore circa ilia spatium descripsit, qvantum à sinistra parte debeat incidi, tum qvi dicitur scissor, habens lapidem Æthiopicum, latus, qvantum lex finit, aperit, subitoq; cursu, jacientibus in eum, qvi adstant, cum execratione lapides, aufugit: deniqve curatores corporis, qvos salitores appellant, cum sacerdotibus versantes, scissuram per corporis interiora, præter cor & renes ducunt, & singula vino Phænicio ex rebus odoriferis lavant: Deinde corpus totum primum ex cedro cum aliis pretiosis ungventis condiunt dies amplius XXX. Myrrhâ deinceps ac Cinnamomô cæterisq; rebus liniunt, qvæ non solùm id servare diutinè, sed & odoriferum reddere qveant. Curatum cadaver per LXX. dies cognatis tradunt defuncti, ita singulis ejus partibus, etiam superciliorum palpebrarumqve pilis integrè servatis, ut omnis corporis species dormientis more integra perduret.

Vid. infra qvæst. VII. §9.10.11.

Vid. Polyd. Virg. lib.3. de Invent. c.10

§. 7. Secunda verò & mediocris talis fertur: Clysterem ungvine, qvod de Cedro gignitur, complent: Ex hac alvum mortui, ipsam nec scindentes nec extrahentes, sed per secessum prehenso viæ posterioris hiatu inferciunt, & diebus LXX. nitrô saliunt: Qvorum dierum ultimo Cedrinum ungven, qvod priùs ingesserant, ex alvo egerunt, qvod tantam habet vim, ut unâ secum alvum atqve intestina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuiqve tantum cutis & ossa relinqvuntur. Ubi ista fecêre, ex qvo sic tradidêre mortuum, nihil amplius negotii suscipiunt. §. 8. Præter has tertia est conditura eorum, qvi tenuiori sunt fortunâ, dilutionibus ventrem abstergens & sale per LXX. dies arefaciens, tum corpus tradunt reportandum. Vid. THEOD. ZVVINGER. Theat. hum. vitæ vol. 2. lib. 7 f. 368.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Qvâ materiâ potissimum condiebantur, qvæ diutissimè servari debebant, corpora?

§. I.

QVanqvam in superioribus sparsim de rebus, qvibus cadavera condirentur, nonnihil injecerimus mentionis, nec opus sit hîc recoqvere, qvin & hoc alienos potius fines attingere videatur: Attamen ne causa illa principalis, â qva ipsa pollinctura & vulgaris qvoqve balsamatio nuncupatur, nos deficeret, & illam ex optimis qvibusqve scriptoribus asseramus & afferamus. §. 2. *Apud Syros & Ægyptios condendi & non cremandi corpora, medicataq; cadavera asservandi in loculis, vetustum morem invaluisse accepimus. Condiebant enim cadavera myrrhâ, aloë, cedro, melle, sale, cerâ, bitumine & resinâ, odoribus & ungventis delibuta. Ex succo enim cedri exanimum corpus servari, sicut viventia corrumpi, haud dubiè perspectum est. Sudore qvoq; ligni tædæ concisæ & furnis adactæ apud eosdem mortuos delibutos servari prodiderunt, ita ut lineamentis integris ceu vivi apparerent.* Qvibus ALEXANDRI verbis allatam medicaminum & condimentorum seriem servabimus, singula ordine discussuri. §3. Primoloco *myrrha* (unde *corpora myrrhata in ævum reponi* suprà è SILIO ITALICO perhibebamus) haud immeritò ponitur, qvæ præcipuè putredinem & conseqventem fœtorem arcet, qvare idem ALEXANDER scribit, *Sabæos cum omnia odorum genera Diis accumulent, de myrrha tamen nihil impartiri, qvasi numinibus subiratos, qvod solam myrrham ex omnibus odoribus apud se gigni non sivissent.* Id qvod PLINIUS de Sabæis iisdem loqvens, aliter protulit: *Non dant*, ait, *ex myrrha potiones Deo, qvoniam & apud alios nascitur.* Ergô Alexandri ICti verba ita concipienda & emendanda erant: *Qvod myrrham ex omnibus odoribus apud se solos gigni non sivissent.* In ipsis sacris literis aromatum præstantissimum (ut JUNIUS transtulit) myrrha ingenua dicitur. Et passim scriptores Ecclesiastici inter Magorum munera myrrham celebrant, moribundo Christo oblatam, qvos inter PRUDENTIUS amœnissimè:

Alex ab Alex. Lib. III. dier. gen. c. 2.

Qvæst. & §. 5. è Silii lib. 13.

Alex ab Alex. lib. IV. cap. 17.

Plin. l. XII. cap. 15.

Exod. XXX 21.

Prudent. Cathem. hymn. 12.

Prud. Cathem. hymn. 12.

Regem Deumq; annunciant
Thesaurus & fragans odor
Thuris Sabæi, at myrrheus
Pulvis sepulcrum prædocet.

Fulb. hymn. in Epiphan. Domini.

Et FULBERTUS Carnotensis de Eois illis principibus pariter cecinit:

Thus Deo, myrrham trogledytem (qvæ optima) *humando,*
Bracteas Regi Chryseas decenti,
(Dum colunt unum) meminére trino
- - - Tres dare terna.

Cyprian. de Stella & Magis. *Plin. lib. 27. c. 3.* *Isid. lib. 17. c. 8. & 9.* *Scal. Exerc. 159.* *Diosc. cap. de Aloe.*

Et CYPRIANUS: *In auro Regem, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, qvamvis passibilem, profitentur.* §. 4. Aloë, qvæ gravi odore & gustu amara est PLINIO, qvam & ipse ISIDORUS herbam amarissimi succi dixit, & nihilominus lignum ipsius vice thymiamatum *adoleri* altaribus credidit, unde & nomen traxisse videretur. Cùm potiùs sit ab Ahaloth Chaldæorum. Est autem illud valde glutinosum & siccans, atqve fluxum sangvinis vulnerum sistens, melleqve addito omnes livores tollens DIOSCORIDI. Eoq; fini Aloë cùm myrrha à Nicodemo ad funerandum Christum centenis libris afferebatur. §. 5. Cedri succus defuncta corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit: Mira differentia, cùm vitam

Plinius lib. XXIV. c. 1. *Lib. XIII. c. 5. & 13.*

auferat spirantibus, defunctis pro vita sit. Qvæ verba PLINII Alexander hic in animo habuisse videtur, qvæ mirum fuit non vidisse TIRAQVELLUM, Commentatorem ipsius eruditissimum pariter & diligentissimum; Cùm aliàs multa hic loca alia ex eodem PLINIO, Vitruvio, Virgilio, Ovidio, Persio, Horatio attulisset, qvibus omnibus, qvæ ex Cedro constructa vel Cedria peruncta, antiqvitatem & corruptionem non sentire, sed ad æternitatem permanere ostendit: sed verè de libris, carminibus, simulacris Deorum & ædificiis saltem illi, qvos citat, locuti fuerant: Pliniana verò illa DIOSCORIDIS qvoqve sunt, esse scilicet Cedro vim ac naturam σηπτικὴν μὲν τῶν ἐμψύχων, φυλακτικὴν δὲ τῶν νεκρῶν σωμάτων. Eoqve nomine esse νεκροῦ ζωήν. §. 6. COLUMELLA verò exanimum corpus hominis per annos plurimos in melle servari scripsit, & coërcere vitia, nec serpere ea patitur. Et *mellis autoritas non esset in*

Dioscorid. l. I. c. 89. *Columell. lib. XII. c. 45.*

pre-

precio minor, qvàm laseris, ni ubiq; nasceretur. Mellis qvidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, jucundo sapore atq; non aspero, aliâ, qvàm salis naturâ. Agesipolim Lacedæmoniorum Regem prope Olynthum vitâ functum & melle conditum Spartam relatum, scribit XENOPHON, & supra jam tum plura exempla de Agesilao, Alexandro, Babyloniis, & aliis vidimus. Neqvicqvam tamen L. PIGNORIUS ex his duobus exemplis & auctorum de iisdem testimoniis evincere potuit, hanc funeris condituram (in melle & cera) Lacedæmoniis fuisse familiarem. Itaqve mel mortuorum symbolum veteribus creditum, sicuti fel vivorum. Nam *qvæ siccanda sunt, melle deterguntur, qvod longinqvitate temporis succo privatur, ut fiat aridius*, docente DISARIO apud MACROBIUM. Plin. lib. 22. cap. 24. Xenoph. 5. Comm. de reb. Græc. L. Pignor. Symb. Epist. p. 192. Macrob. l. 7 Saturnal. c. 22.

§. 7. Qvi veterum humanissimus corporum curator (qvomodo ab AVIENO ibidem salutatur, at apud SYMMACHUM *idem vir CL. summatem inter professores medendi jure dicebatur obtinere locum:*) inter Saturnalitios congerrones, cùm interrogaretur, qvâ ratione largè aridum laridum atqve aliam carnem ad diuturnitatem usûs admistio salis servaret? Respondit; *Omne corpus suapte naturâ dissolubile & marcidum esse, & nisi qvodam vinculo contineatur, facilè diffluere: Contineri verò, qvamdiu inest anima reciprocatione aëris, qvâ vegetantur conceptaculâ Spiritûs. Hoc cessante spirandi alimento, per animæ discessum membra marcescere, sangvinem qvoqve, qvi calidus iis vigorem dabat, in saniem conversum foràs exprimi. Utrumq; fieri salē admistum corpori prohibere, & fluxum qvidem corporis calore contrahere, humorem verò siccitate vel coërcere, vel exsorbere.* Ex qvo intelligitur vulgaris parœmia, porco animam datam esse pro sale, ne putrescat. Et præcipuum hoc munus apud Ægyptios ταριχευτῶν inde nuncupatorum fuit. Et sic HERODOTUS in Thalia narrat, Amesin post mortem sale condîtum fuisse. Symmach. l. 3. epist. 37. Herod. lib. 2

§. 8. De cera qvoqve constat ex suprà dictis, illâ Agesilaum & alios inopiâ mellis circumlitos fuisse, sicuti qvoqve Babylonios apud STRABONEM; qvin & HERODOTUS, jam tum apud Persas cadavera defunctorum cerâ involuta in terram condi recordatur. Ratio verò illius rei hæc dari poterat, qvod veluti parietes favorum sint ceræ, intra qvos liqvidum mel stipetur, ita qvoqve cum melle intus cadavera ungerentur, cera foris illinita ea qvasi continebat. Plut. in Vita Agesilai. Strab. Geograph. l. 16.

§. 9. Bitumine qvoqve extrinsecus in fine pollincturæ suæ condiisse Ægyptios cadavera alibi diximus. Qvod ipsum bitumen nihil aliud est, qvàm ἄσφαλτος, à qvo nomen retulit Asphaltites, nihil præter bitumen gignens. Plebejorum verò cadavera in Ægypto asphalto potissimum aut Pittasphalto condita fuerunt, ut ex STRABONE constat. Bitumen enim & cumprimis Judaicum ac Babylonicum liqvefactum in hominis cadaver infundunt, omnesqve illius partes cavas, cranium scilicet, thoracem, ventrem & ossa pervia eâ complent, qvod maximè vim exsiccandi & agglutinandi cum modicâ calefactione habeat. §. 10. Mirari qvispiam hoc loco potuisset, cur ALEXANDER balsamum præteriisset, qvod vel maximè tamen in conditura hac cadaverum attendebatur, ut inde Mumiæ in maximo precio habitæ, qvod balsamata corpora vulgò dicta & habita essent. Certè in pietate Abascanti STATIUS;

Plin. Lib. 2. cap. 15.
Scal. Exerc. 104. §. 9.
Strab. lib 16 Geograph.
Stat. 4. Sylv.

- - Inter dona mala feralia pompæ
Omne (refert) illic stipatum examine longo:
Ver Arabum, Cilicumq; fluit, floresq; Sabæi,
Indorumq; arsura seges, præreptaq; templis
Thura, Palæstini simul Hebræiq; liqvores,
Coriciæq; comæ, Cinyrejaq; germina.

Ubi per *Cinyreia germina* myrrham, per *Coricias comas* crocum: per *Palæstinos* verò & *simul Hebræos liqvores* balsamum à Poeta notari rectè censebat GEVARTIUS, qvòd apud solos Hebræos in Judæa prodibat. Qvam ad rem videndum addebat PLINIUM. Sed respondendum est, balsamum sub resinæ voce generali ALEXANDRO contineri. §. 11. ISIDORUS enim in Etymologico suo ita scriptum reliqvit: *Resinam Græci* ῥητίνην *vocant,* ῥέον *enim græcè dicitur qvicqvid manat. Est enim lacryma sudore exhalata lignorum, ut cerasi, lentisci, balsami, vel reliqvarum arborum vel virgultorum, qvæ sudare produntur: sicut & odorata orientis ligna; sicut gutta balsami & ferularum vel fucinorum, cujus lacryma durescit in gemmam. Prima est resina terebinthina: secunda lentiscina, qvæ mastix: tertia pinalis, qvarum alia* πιτυΐνη, *alia* πευκίνη, *alia liqvida, alia arida: Et affertur ex Tyrrhena qvoq; Colophonia.* Reqvirantur verò seqvente ibidem statim capite, qvæ idem Hispalensis Episcopus de balsamo qvoqve protulit.

Gevart. ad Statii Sylvas
Plin. L. XII. cap. 25.
Isiodor. Lib. XVII. c. 6.

§. 12.

§.12. Transeat qvod odorum porrò & ipsa voce generaliore usus est, qvâ amomũ, thus & alia odorata comprehendũtur, de qvibꝰ suprà multa habuimus, qvod obtundendo fœtori â cadavere mananti veteres iis usi fuerint. At illud h. l. examinare visum est, qvod FED. MORELLIUS ad paulò antè allata PAPINII carmina commentatus fuit: *Hunc Rom. ritum mortuos omni aromatum genere condendi ab Ægyptiis primùm & Judæis usurpatum, tum ab unigeno Dei filio approbatum, inde â Christianis etiam religiosè observatum fuisse in sepeliendis potissimum corporibus sanctorũ: nullo tamẽ adhibito thure,* autor est TERTULLIANUS: *Thura planè non emimus. Si Arabiæ qveruntur, sciant pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, qvàm Diis fumigandis. Qvæ verba* (addit MORELLIUS) *Paraphrastas non capere:* Sed fortasse melius ipsô MORELLIO cepère. Sic enim FRANC. ZEPHYRUS in metaphrasi suâ illa expressit: *Sed ne mercatores qvidem exotici conqveri de Christianis meritò possunt, nam si odores Arabicos ad suffitus Deorum non emimus: in sepeliendis tamen cadaveribus majorem copiam thuris absumimus.* Qvæ ultima verba Morellius frustrà non impugnasset, nisi textum priùs corrupisset, qvi sic habet: *Si Arabiæ qveruntur, scient Sabæi,* id est, si reliqvorum Arabum odoramenta spernimus, at â Sabæis, qvorum merces sunt thura, ea funeribus coëmimus. §.13. Qvod si Morellius ipsum TERTULLIANUM evolvisset, aliter sensisset, nam licet in eodem Apologetico idem Afer, *non grana thuris, Arabicæ arboris lacrymas, unius assis se facere dixisset,* attamen alibi scribere non veritus est: *Si me odor alicujus loci offenderit, Arabiæ aliqvid incendo, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, qvo agitur apud idolala.* Longè verò clarius idem florentissimus Carthaginis presbyter de Idololatria ipsa: *Viderint, si eadem merces, thura dico & catara peregrinitatis ad sacrificium idolorum etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis qvoq; insuper ad solatia sepulturæ usui sunt.* Prout suprâ qvoq; in funere Justiniani Imperatoris Christiani thura Sabæa cremata è CORIPPO demonstravimus, & è PRUDENTIO:

Aspersaq; myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

§.14. Odores qvoqve alios & varios qvod concernit, in qvæstione jamdum tertia §. 5. odores omnium generum

Fed. Morel. ad lib. V. Sylv. Stat. p. 513.

Tertull. in Apol. c. & l.

Vid Isid. orig. lib. 9. in Sabæis.

Tertull. Apolog. c. 30. & de corona militis cap. X. num. 108 item Lib. de Idololat. c. XI.

Qvæst. III. §. 7.

Coripp. lib. III. de laud. Justiniani. Prudent. hymn. ad exeqvias.

to-

Propert. lib. II. Eleg. 14. rum totis lancibus ingestos & statuas justæ magnitudinis ex odoribus confectas & incensas ex ALEXANDRO meminimus. Qvæ indicavit qvoqve PROPERTIUS de suo funere loqvens:

Desit odoriferis ordo mihi lancibus; at sint
Plebeii parvæ funeris exeqviæ.

Plutarch. in vita Syllæ ad finem. Et PLUTARCHUS in funeræ Syllæ tantam à matronis vim odorum oblatam fuisse scribit, ut præter eos, qvi in lecticis decem & ducentis comportabantur, qvædam justæ magnitudinis imago è thure cinnamomoqve ingentis pretii formaretur. §. 15. Ungventa deniqve vel ab ipso Achillis funere usurpata ex antiqvissimo Poëta HOMERO novimus:

Hom. lib. XXIV. Odyss.

Καίεο δ' ἔντ' ἐσθῆτι θεῶν καὶ ἀλείφατι πολλῷ.

Alex ab Alex lib. III. cap. 11. Et qvamvis Antiocho Rege victo P. Licinius Crassus & Julius Cæsar, censores, ne qvis ungventa exotica venderet, pœnis inhibuerint exemplo Lacedæmoniorum, qvi ungventarios urbe exegêre: Attamen *ungventis* semper *honos fuit, isq; & ad defunctos pertinere cæpit*, ut ait PLINIUS. §. 16. De nitro qvoqve aliqvid antea dictum, & scribit SEXTUS EMPIRICUS, Persarum morem esse, vitâ functos in crucem tollere, nitrò salire & postmodum corio contegere.

Plin. l. XIII cap. 1. Qvæst. V §. 7. Tiraq. ad l. XIII. Alex c. 2.

QVÆSTIO VII. & Ultima.

Qvorumnam fuerit hominum pollingere & condire cadavera humana?

§. I.

Muret. lib. III. var. lect cap. 19. Horat. Epod. 17. MURETUS ex Ode Horatiana, qvâ εἰρωνευόμενος veniam à Candia venefica petit:

Unxêre matres Iliæ addictum feris
Alitibus atq; canibus homicidam Hectorem.

Constat, inqvit, ungi solita apud antiqvos cadavera, ut diutius integra conservarentur, ejusq; muneris muliebrem curationē fuisse, vel ex illo ENNII:

Tarqvinii corpus bona fœmina lavit & unxit.

Cruqv. ad cit. loc. Hor. Ideòqve & JACOBUS CRUQVIUS, qvia hoc beneficii adscribitur matribus Iliis, qvarū est abluere & ungere cadavera ante sepulturam,

turã, *unxêre* magis appositũ non dubitabat, qvàm *luxêre* LAMBINI. nam ut *ungere* matrum est, ita *lugere* omnium propinqvorũ & amicorũ. §. 2. Sic & THEOCRITO Adonis ungitur à Venere, ab Amoribus lavatur; Ex Evangelio etiam apertè cognoscimus, ungendi ritum antiqvitùs valdè celebrem fuisse, & mulieribus præcipuè commendatum. Atqve inde non modò intelliguntur superius paulò adducta è sacris literis, *aromata & ungventa meretricia*, sed & in iisdem oraculis, primum Israëlitis regem flagitantibus datum Responsum: *Hoc erit jus regis*, &c. *Filias qvoqve vestras faciet sibi ungventarias, & focarias, & panificas*. §. 3. Et vel hoc qvoqve nomine haud immeritò Uxor, qvasi Unxor, usitata DONATO & ISIDORO, qvæ lotum maritum ipsa ungebat, cujus rei testis ENNIUS de Tarqvinii fœmina sit, vel qvod unà cum pollinctore hanc rem expediat. Sic enim MARTIALIS:

Lamb. ad eund. loc. Horatii.
Theoc. Idyll.
2. Paral. 16.
1. Reg. 8.
Donat. in Hecyra 1. 2.
Isidor. 10, 8.
Mart. lib. X Epigr. 97.

Dum levis arsura struitur Libitina papyro,
Dum myrrham & casiam flebilis uxor emit;
Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato,
Hæredem scripsit me Numa; convaluit.

Ipsa *Deûm mater* apud ARNOBIUM *genitalia illa desecta per se mœrens officiosâ sedulitate collegit, ac ne nuda in gremio soli sic diffluerent, priusqvam veste velaret ac tegeret, lavit utiq; balsamis atq; unxit*. §. 4. Nec aliter qvoqve OVIDIANA Colchis

Arnob. lib. V. p. 98.

Æsonis effœtum proferri corpus ad aras,
Jussit, & exanimem stratis porrexit in herbis,
Terq; senem flammâ, ter aqvâ, ter sulphure lustrat.
Interea calido positum medicamen aënô
Fervet & exsultat, spumisq; tumentibus albet,
Illic Hæmonia radices valle resectas,
Seminaq; & flores & succos incoqvit atros.
His & mille aliis postqvam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortalî barbara munus,
Omnia confudit, summisq; immiscuit ima,
Reclusit jugulum veteremq; exire cruorem
Passa, replet succis; qvos postqvam combibit Æson,

Naso Metam. l. 7. Vers. 253.

Naso IV. Fast. v. 851. *Pulsa fugit macies, abeunt pallorq; situsq;.*

§. 5. Et qvamvis cognati & familiares viri hoc officium cum mulierculis præstare non subterfugerent, illarum tamen munus præcipuum fuit. Id qvod & OVIDIUS per Anticipationem sive πρόληψιν de Remo post cædem à fratre uncto & sepulto in medium protulit, ita tamen ut Accam non excluderet:

Arsurosq; artus unxit: fecêre, qvod ille,
Faustulus & mœstas Acca soluta comas.

Qv. 6. §. 14. Et iterum ibid. §. 4. Joh. XIX. Marc. XVI. Idqvè in primo qvoqve apud Romanos Corn. Syllæ rogo è PLUTARCHO modò vidimus, & in ipsa etiam Evangelica Salvatoris mortui historia, tametsi, ut pariter ante innuimus, Nicodemus mixturam myrrhæ & aloës qvasi libris centum attulisset, Maria tamen potissimùm & Magdalena cum altera Maria Jacobi venerant post Sabbathi transitum, ut ungerent Jesum aromatis, qvæ emissent. Eaqve ipsa peccatrix qvondam fœmina, hoc fœmininum qvoqve munus ipsi vivo adhuc Christo, & qvidem triplex exhibuerat, qvod & seni Philocleonti filia apud ARISTOPHANEM præstitit: Aristoph. in Vespis.

- - καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με
ἀπονίζη, καὶ τὼ πόδ' ἀλείφη, καὶ προσκύψασα φιλῆς.

Et primùm qvidem filia me abluit & pedes
ungit & prona osculatur.

§. 6. Verumenimverò, ut ἀπόνιμμα (qvam cadaveris lotionem in honorem defunctorum adhiberi solitam ita vocari voluit κατ' ἐξοχὴν ATHENÆUS) proprium qvasi mulierum fuit, qvem morem & HOMERUS attigit: Athen. lib. 9 Hom. Il. ult.

Δμῳὰς δ' ἐκκαλέσας λοῦσαι κέλετ'.

Ancillas autem vocans lavari jussit.

Ita ad sectionem & unctionem viri potissimùm adhibebantur. Et qvemadmodum apud Romanos *Libitina* suum habebat κηδεμονικὸν πλῆθος, id est, *operas pollinctorum*, qvæ, ut est apud LIVIUM, *in urbe tanta* interdum *vix sufficerent:* Atqve hi servi vespillones à Dominis suis, qvi Libitinæ à rationibus erant (prout apud TRANQVILLUM *triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerant:*) ritè distingvebantur ab ULPIANO, in limine statim à nobis adducto: ita & apud DIODORUM: Exosi erant *scissores* fugitivi, qvi al- Sveton. in Nerone. Qvæst. 1. §. 2 & 3. Diod. Biblioth. l. 2. c. 5.

vum

vum lapide incisam vix eluere poterant, anteqvam abigerentur; In existimatione autem magna & honore erant ταριχευταὶ sive salitores, qvos POLYDORUS haud adeò scitè *salinarios* vocavit. Polyd. Virg. lib. III. de rer. invent. cap. 10.

§. 7. Eaqve propter in vulgata etiam Bibliorum versione haud malè distingvere Medicos à servis suis Chirurgis vel tonsoribus conveniebat, nisi qvod olim servili propè conditione Medentes fuerint, ut apud PLINIUM legimus Qvamvis ævo Augusti non omnes Medici servi, sed qvidam etiam fuerint in interiori principum cultu, qvod vir multiscius ISAACUS CASAUBONUS & THOMAS DEMSTERUS nos pridem docuêre. Pollinctores illos Jacobi Ægyptios LXX seniorum translatio ἐνταφιαστὰς reddidit, qvod nominis vi suâ non usqve adeo officium ipsorum videbatur explere, qvia non hi sepeliebant corpora, sed sepulturæ & defossioni vel depositioni saltem ea præparabant, *& agebant id, qvod exhibetur corporibus humandis vel condiendo, vel siccando, vel involvendo & alligando;* nisi qvod ἐνταφιάζειν sumatur, interdum Synecdochicè pro illis omnibus ad funerationem spectantibus muniis, ut apud Evangelistam Theologum: Ubi mos Judæorum ungventa forinsecus applicantium, deindeqve fasciis obligantium describitur, ut & apud Matthæum, *mittens ungventum in corpus meum,* πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με, *ad funerandum me fecit.* Plin. exord. lib. XXIX. Casaub. ad Svetonii Julium c. 4 Dempst. ad c. 18. lib. I. Antiq. Rom. Vid August. in lib. locut. super Gen. Joh. XIX. 40. Matth. XXVIII. 12

§. 8. Contingebat verò haud rarò, ut Medici & Pollinctores sese concomitarentur, ceu apud VARRONEM, mutuum muli scabunt: *Plures dies inter medici abscessum & adventum pollinctoris interfuerunt.* Qva de re elegans qvoqve & argutum est Epigramma ἀδέσποτον in Anthologia: Varro in sat. mutuũ muli. Antholog. l. II. edit. noviss. p. 1332.

Ἰητρὸν Κρατέαν καὶ Δάμων ἐνταφιαστής,
Κοινὴν ἀλλήλοις θέντο συνωμοσίην.

Fœdus amicitiæ juratum iniere vicissim
Vespillo Damon & Crateas Medicus.
Lintea & ille qvidem suffurans cuncta sepultis,
Qveis Crateas religet vulnera, mittit ei.
Inde vicem reddens Crateas, sepelirier omnes
Mittit, qvotqvot ei se modò crediderant.

Ex qvo intelligere qvoqve licet, qvid est apud ARNOBIUM Arnob. l. I. adversus gentes

istud

istud, cum ait, *Lazarum post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expeditum.* Confer & illud MARTIALIS:

Mart. lib. I. Epigr. 47.

Nuper erat Medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Qvod vespillo facit, fecerat & Medicus.

§. 9. Qvamvis ergò ad Asclepiadeam familiam pertineat viventium inprimis curam habere; attamen nec illam omnem circa mortuos abjicere convenit, ut ex APULEJO cognovimus, contra qvàm BEN. PERERIUS judicabat. Qvod Polycratis somnium oblíqvè & allegoricè insinuabat, qvem Jupiter lavare, Apollo siccare & ungere deberet. Qvodqve Imperatorum, Regum, Principum, aliorumqve defunctorum Magnatum corpora, non nudis pigmentariis, solisvè balneatoribus & tonsoribus ad condituram committenda sint, nec olim qvoqve nisi medicis potissimum commissa fuerint, vel ex eo apparet, qvod non apud gentiles modò *medicata cadavera Ægyptiis asservari* PLINIO, ut & POMPONIO MELÆ *mortui arte medicati intra penetralia ab ipsis collocari* dicantur; sed & apud Christianos qvoqve, veluti TERTULL. *corpora condimentis sepulturæ medicata*, item & aliis qvoqve perhibeantur. PAULINUS:

Apul. 4. Florid.
Perer. Comment. in Genes. p. 1041.
Plin. lib. IX cap. 37.
Mela l. 1. c. 9.
Tertull. lib. de resurrect. carn. c. 27.
Paul. in nat. 6. S. Felicis.

Et medicata pio referunt ungventa sepulchro.

§. 10. Et sanè auctorum omnium vetustissimus ac ipsius mundi originum descriptor verissimus, imò Dei ipsius Cancellarius consultissimus MOYSES, ista omnia in unum compegit, qvando Joseph præcepit servis suis Medicis, ut aromatibus condirent patrem suum, & aromatibus condiverunt Medici ipsum Israel, & completi sunt eo XL dies, (sic enim complentur dies eorum, qvi condiuntur aromatibus) & fleverunt eum Ægyptii LXX diebus. Cui loco sacro non modò non refragantur, sed lucem splendidiorem fœnerantur profani duo, sed optimi Grecorum historici, HERODOTUS & DIODORUS SICULUS. §. 11. Qvi in eo conveniunt, qvod Ægyptii, qvicqvid est intestinorum, adeoq; totam alvum extraxerint, eamq; cum visceribus singulis repurgatam, vinoqvè palmeo perlutam, aromaticisqve odoribus infartis, sua iterum sede repostam consuerint. In eo verò discrepare videntur, sed reipsa tamen, si animum adverteris, nec inter se discrepant, nec à Moyse. DIODORUS enim postea sic pergit. Lotum deniqve cadaver ad dies plures XXX ungvento primum Cedrino aliisqve delibutum reddunt: Myrrhâ

Gen. L.

deinde

deinde ac Cinnamomô, aliisqve, non longiori tantum conservationi, sed etiam fragrantiæ aptis conditum propinqvis restituunt. Herodotus verò, ubi ista fecerint, addit; *ipsos salire intra abditum seu domus penetralia cadaver per LXX. dies, qvibus exactis, salire diutius haud licere. sed ablui syndone byssina totum involvi, gummiq; illiniri, inq; ligneam hominis effigiem inclusum postea thesaurizari sive reponi, & in conditorio ad parietem erectum diligenter servari.* Veluti Heinsius ad locum suprà citatum Silii vertenda ista putavit. *Heins. notis ad Sil. Ital. lib. XIII.*

§. 12. In unctura igitur seu pollinctura & conditura aliqvot XXX. dies peracti, ad plurimum XL. sed non ultra, vel saltem unà cum salitura qvoqve separatim adhiberi solita, non plures LXX. diebus ante sepulturam, dum lessus absolveretur, insumpti fuerunt. Sicuti Pererius qvoqve conciliâsse videtur. Nos verò dimidium temporis aut paulò plus conditura, & alterum medietatem salsuræ plerumqve datum, sed & pro condiendorum conditione, nunc plus temporis illi sumptuosæ unctioni, nunc verò vili ταριχεία insumptum arbitrabamur. *Perer. in Genes. p. 1042.* §. 13. Sed ne ipsi qvoqve totidem dies pollincturæ impendamus, aut papyrum Libitinæ usibus consecremus, abrumpendum filum & conclamandum erit, ubi tamen prius totius hujus disputationis summam & periocham, qvam medii ævi scriptores continentiam vocabant, pugno constrinxerimus, & qvod hactenus Peripatetico more venati sumus, unica definitione sistamus, qvæ talis nobis ex dictis plerisqve omnibus exprimenda visa est: Pollinctura est cadaverum humanorum condimentis balsaminis, cum, vel sine exenteratione facta medicatio, putredinis & putoris amoliendi gratiâ. *Quæst. 5. §. 7* §. 14. *Definitum* vel definiendum, *qvæstione primâ* discussum, *Pollinctura* est, qvæ definitione nominali *Pollutorum unctura* seu magnatum *mortuorum conditura*, designatur & exponitur. Qvod genus in reali qvoqve definitione commodè retineri potuisset, nisi ad causam qvoq; efficientem Medicorum, *in qvæstione ultima* explicatam, respicere simul maluissemus. Hoc igitur *genus medicatio*, cum pro natura sua & ipsum sit generalius, prout vina, poma, nuces & alia similiter medicari dicuntur, id verò *per differentiam cadaverum humanorum*, non ab animatis modò, sed & ab aliis mortuis animalibus, veluti Hippocentauro in melle ex Ægypto Claudio Cæsari allato secernitur atqve restringitur. *Plin. l. 7. c. 3*

tum. Atqve hoc *materiæ circa qvam*, sive subjecti loco, *qvæstione II. & III.* examinatur. *Formalis ratio* alio atqve alio condiendi cadavera modô, in eo consistit, qvod vel sine scissura & *exenteratione* ad morem Judæorum, *vel cum evisceratione* ad Ægyptiorum fiat, atqve ita qvoqve distincta ipsa appareat, & divisionis mater existat, qvæ *in qvæstione V.* & qvodammodo qvoqve *in VII.* enarrata sunt. Qvod verò *condimentis balsaminis*, ceu *materiâ ex qvâ*, peragēda sit, â potiori denominationem sumere voluimus, qvod omnia, qvæ eo adhibentur, vel vi odoriferâ, vel putredini adversariâ, balsamo respondere & succenturiari debeant, ut *in qvæstione I. §. 14. & VI.* vidimus. Ex qvo ipso deniqve *causa finalis* principalis & interna, qvæ est *putredinis & putoris amolitio*, simul prolectatur; Eaqve *in qvæstione IV.* cum aliis subordinatis usibus, & externa qvoq; causa finali satis superqve fuit ventilata. §. 15. Atqve hæc impræsentiarum Philologicè & historicè dicta sufficiant! at alio tempore, qvę Medicorum propria erunt, de hac pollingendi ratione & medicatis corporibus, qvas mumias vocant, eorumqve usu, vel abusu potiùs, locus erit ulterius è fundamētis Medicis, Bono cum Deo, differendi, cum qvo hîc nobis, ut primordium erat, ita & felix esto FINIS.

COROLLARIA XV.

I.

AN sicuti Genes. 50, 3. ὅτω γὰρ καταριθμοῦνται αἱ ἡμέραι τῆς ταφῆς, ponitur pro τοῦ ἐνταφιασμοῦ: Ita rectè AND. MELVINUS Scotus censuerit huc referendum ex Symbolo Apostol. ταφέντα, qvasi ἐνταφιασθέντα? N. contra DRUSIUM miscell. cent. 2. cap. 8. II. An balsamum rarum & charum, sed non desitum? Aff. contra CARDANUM de subtil. III. An oleum Indicum de Goacomax arbore, Judaicæ balsamo facie congenere, naturâ & balsami vires plurimas æmulans, ab Hispanis rectè Balsamū & ipsum appelletur? Aff. cum SCALIGERO Exerc. 157. §. 1. IV. Qvale nam fuerit linum illud Asbestinum, ex argumento naturæ, qvod ignibus non adureretur, nec absumeretur, unde Regum funebres tunicæ, corporis favillam ab reliqvo separantes cinere, PLINIO teste Lib. XIX cap. 1 confectæ? An ex Amianti lapidis contusi & excussi capillamentis, aptari pectinibus, telaqve inde contexi qveat? Aff.

Aff. cum Majolo, colloq. 20. Canic. pag. 669. & cum Alex ab Alexandro L. 3 cap. 7. V. An è proverbio Græcorum de prorsus illaudabili viro, cui nihil insit, qvo laudari qveat, ne in funeris qvidem cœnâ: οὐκ ἂν ἐπαινεθείης, οὐδ᾽ ἐν περιδείπνοις, inferri possit, in circumpotationibus feralibus & cœnis novendialibus laudes potissimum defuncti recitari moris fuisse? Affirm. cum Casaubono ad Persium pag. 490. VI. An ex Corippi lib. 3. vers. 126. idem probari possit?

Sacro Principibus jucunda fabula mensæ
De Divo Genitore fuit: tum nomen honorum
Inter delicias & dulcia pocula summis
Laudibus attollunt, vivûmq; per ora fatentur. Aff.

VII. An ex ibid. præcedentibus versiculis à III. conseqvatur, inter aurea fercula, oculos oblectantia, appositam fuisse defuncti & jam sepulti effigiem?

Aurea purpureis apponunt fercula mensis:
Pondere gemmarum, plus graphide; pictus ubiq;
Justinianus erat, Dominis pictura placebat,
Gaudebantq; sui Genitoris imagine visâ
Felices geniti, veras ibi credere posses
Sacras effigies, vivasq; adstare putares,
Ars & materies animas simul addere possent,
Addendi vim istam nisi tu, Natura, negasses. Aff.

IIX. An, ut supra Qvæst. V. §. 7. Ossa & cineres uncti, luxus ille ad cippos & lapides sepulchrales qvoqve progressus fuerit? Aff. ex illo Incerti lib. 1. Antholog. tit. 47.

Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου.

qvod epigramma Dn. Barthius ita vertit, (ut obiter locum illum in edit. nostra, pag. 1429. à librariis corruptum restituamus)

Marmoreum ad tumulum ne perde ungventa, coronas,
Nec sumptum in flammas funde supervacuum!
Vivo, si qva voles, largire! qvid ebria cœnum
Fit cinis? extincto gratia nulla meri est.

Adde & Stratonis alterum ibidem pag. 1483. à nobis versum,

Καὶ στεφάνοις κεφαλὰς πυκασώμεθα, καὶ μυρίσωμεν
Αὐτοὺς, πρὶν τύμβοις ταῦτα φέρειν ἑτέρους.

Cur

Cur prius haud sertis nos cingimus, ungimus & nos,
Serta alii in tumulum, balsama qvàmq; ferant?

IX. An singulare illud in morte Hieronymi viri maximi fuerit, qvod cum ipse non pollingeretur, *fragrantissimus tamen odor recedente ejus animâ fuerit subsecutus, & per dies aliqvot non modicè duraverit?* Aff. CASAUB ad Sat. 1. Pers. pag 87. X. An in sepulchralibus inscriptionibus veterum: H. M. H. N. S. jocus captari debeat ex amphibolo: *Hoc monumentum hæredes non seqvitur*, qvia immobile, sed hæredes seqvuntur monumentum, ut est, apud Comicum, *Funus præit, nos seqvimur?* N. contra ZWINGERUM theatr. vol 20. lib. 3. pag. 4322. XI. An Sveno Daniæ Rex sine pollinctura, sed modo districto à Libentio Hamburg. Episcopo, Ecclesiæ gladio, per annos LXX. integer in sepulcro à putredine fuerit conservatus, interposita vero prece Adelvardi Sveonum Apostoli absolutus ceciderit in cinerem? Aff. CRANTZIUS lib. 3. metrop. cap. 42. & 48. & l. 4. cap. 33. XII. An lampades ardentes & cerei in funerum gentilium juxta SENEC. Epist. 123. ceremoniis adhibiti, Christianis qvoqve in more fuerint? Aff. CHRYSOST. homil. 4. in 2. cap. ad Hebr. *Dic mihi, qvid volunt sibi istæ splendidæ lampades? qvid hymni?* Et mox: *Cogita qvid psallas illo tempore: Revertere inqvis, anima in reqviem tuam, qvia benefecit Deus tibi. Item: Non timebo mala, qvia tu mecum es.* XIII. An *qvi in vino ungventoq; tenebras exigunt, infausti homines, non tàm conviventur, qvàm justa sibi faciant? Et minimum à funere absint & qvidem acerbo, qvi ad faces & cereos vivant?* Affirm. cum SENECA l. c. XIV. Cur *apud varias gentes diversa fuerint genera sepulturæ, dum alii exuruntur, alii obruuntur?* An qvod *Heraclitus*, omnia ex igne constare asserens, dixerit, debere in ignem corpora resolvi? *Thales* verò omnia ex humore procreari confirmans, obruenda corpora statuerit, ut possint humore resolvi? Affirm. cum SERVIO ad XI. Æneid. Addo ex eodem: *Alii ad proprias remittuntur patrias*: melle scil. à *Democrito* inuncti ad alteram vitam. V. qvoqve ALEX. ab ALEX. l. 3. c. 2. & RHODIG. l. 7. A. L. c. 21. XV. An funestum & ominosum fuerit Tillio ante prælium Lipsiense hîc in ædes καδαγεώτȣ s. bustuarii divertisse? Affirm.

SOLI DEO GLORIA.